MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80461-18

AUTHOR:

WOELFFLIN, EDUARD

TITLE:

L. ANNAEI SENECAE MONITA

PLACE:

DATE:

1878

Master Negative #

92-80461-18

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Woelfflin, Eduard von, 1831-1908, ed.
Seneca, L.A. (Selections. 1878)
...L. Annaei Senecae Monita, 1878.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 2/22/92 INITIALS TM
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

REGIAE FRIDERICO-ALEXANDRINAE

LITERARUM UNIVERSITATIS

PRORECTOR

D. GUALTHERUS HEINEKE

CHIRURGIAE PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS

CUM

PROCANCELLARIO

RELIQUOQUE SENATU ACADEMICO

SUCCESSOREM SUUM

CIVIBUS ACADEMICIS

COMMENDAT.

INSUNT:

L. ANNAEI SENECAE

MONITA, ET EIUSDEM MORIENTIS EXTREMAE VOCES.

EX CODICIBUS PARISINIS SAECULI VII. ET IX. PRIMUS

EDIDIT

EDUARDUS WOELFFLIN.

ERLANGAE.

TYPIS JUNGE ET FILII.

MDCCCLXXVIII.

1878

Si litterarum antiquarum cognitio nulla incrementa caperet nisi ex iis scriptoribus, qui raro admodum et magnis intervallis ex bibliothecarum tenebris in lucem proferuntur, imminui contra crederetur, quotienscunque liber aliquis ab eo, cui adscribere consuevimus auctori, abiudicatur, verendum profecto esset, ne nostrae aetatis philologi potius retro cessisse quam priores superasse viderentur. Quare cum mihi hoc anno a senatu academiae nostrae programmatis, quod dicitur, conscribendi munus demandatum esset, utilius esse mihi visum est antiquitatis studia librum quendam oblivione fere obrutum edendo pro parte virili promovere, quem si qui et ipsum subditicium esse iudicabunt, spero invento meo defensores non defuturos esse. Quamquam neque ut in codicem rescriptum aliquem inciderem neque ut in terra remotissima bibliothecas perscrutarer mihi contigit; sed utar codicibus Parisinis duobus, altero, cuius specimina ipse viginti abhinc annis publice proposui, altero ab hominibus doctis dudum certatim excusso. Itaque, si quid profeci, id non Mercurio tribuendum erit, sed potius ea, quae alii tamquam inutilia abiecisse aut cum contemptu quodam praeteriisse videntur, suo honori restituere conatus sum. Demonstrare autem conabor, quae Seneca philosophus moriens scriptoribus ad hoc ipsum advocatis tradidit quaeque Tacitus utpote in vulgus edita annalibus suis inserere supersedit, aetatem tulisse, deinde librum, quem paulo ante mortem compositum amico cuidam custodiendum tradiderat, sententiis moralibus refertum, si minus integrum, at certe reliquias haud contemnendas servatas esse.

Codicum igitur, ex quibus huius libri per tot saecula silentio paene extincti memoriam repetiturus sum, alterum, latinum num. 10318 bibliothecae publicae, circa annum septingentesimum litteris uncialibus scriptum, olim Salmasianum et ab editoribus anthologiae Latinae saepius examinatum (cf. Alex. Riese praef. anthol. lat. I, p. XII sq. Gildemeister in praef. ad Sexti sententias p. XIV sq. Zangemeister et Wattenbach, Exempl. cod. lat. tab. 46.) rogatu meo a Maximiliano Bonnet Parisino accuratissime excussum et coniecturis feliciter emendatum significabo littera S, alterum, eiusdem

bibliothecae lat. num. 4841, saeculi noni, de quo conferas Philologi vol. VIII. p. 681 sq., littera P. Sed cum hi duo codices, etsi in plurimis quidem conspirant, ita tamen differant, ut alia in S desint, alia in P, ne eundem librum bis typis describerem, rem ita instituendam esse existimavi, ut quae in codice S, quae in P, quae in utroque scripta essent, facile discerni posset. Numeros igitur earum sententiarum, quae fide unius codicis S nituntur, stellula * insignivi, illarum, quae in uno P extant, lunulis ( ) inclusi; ubi nihil additum est, sententias in utroque codice legi scito. Praeterea quae ad pristinam libri formam postea addita esse censeo, litteris inclinatis exprimenda curavi. Senecae morientis autem voces extremas in codice P traditas in fine dissertationis seorsum tractabimus.

Ceterum codices, quos descripsi, non solum multitudine sententiarum inter se discrepant, sed etiam eo, quod in P aliquotiens nomina philosophorum adiecta sunt, in S non item. His praemissis iam de singulis libelli partibus singillatim quaeramus.

I. Leguntur in codice P fol. 16 recto et verso Praecepta Pythagorae et aenigmata Aristotelis, quae frustra quaeras in S. Illa quamquam a Pythagorae disciplina minime abhorrent, tamen a Senecae libro recidenda esse ipsa sententiae *2* et *3* forma docet: nusquam enim in hoc accusativos cum infinitivo reperies. De latinitate si quaeris, nonnulla certe Senecae parum conveniunt; velut ‚igni ac ferro' a Seneca scriptum esse negaverim, quippe quem plerumque ‚ferro' primo loco posuisse et ablativo ‚igne' usum esse sciam. Cf. Klammer, animadvers. Annaeanae gramm., Bonn. 1878. p. 16. Denique parum credibile eundem scriptorem § *3* scripsisse homines veritatem colendo proximos fieri diis, qui infra sent. 10 eos beneficiis imitari deos docuit.

In aenigmatis autem *5. 6. 9. 10.* non solum eadem verborum constructio admittitur, sed etiam coniunctivi adhortativi temporis praesentis (*4 ne transsilias, 5 ne fodias, 8 ne redeas, 9 ne ambules*) passim cum negatione coniunguntur, quod item alienum est a ceteris sententiis, in quibus perfectum coniunctivi suum locum obtinet. Cf. 41. 77. 91. 118. 155. 164; 7. 19. 45. 53 etc. Quod cum casu factum esse non possit, sequitur non solum, ut aenigm. *5* scribendum sit *ne lacessas* (P *ne leseris*), sed etiam ut praecepta Pythagorae et aenigmata Aristotelis ab alio quodam conscripta esse statuamus. Eum fuisse Hieronymum hac re efficitur, quod et praecepta et aenigmata totidem verbis expressa in libro contra Rufinum tertio, cap. 39 (vol. II. p. 565 ed. Vallars.) leguntur. Cf. Göttlingii opuscul. I. 278 seqq. et Mullachii fragmenta philo-

sophorum graecorum I. 504 seqq. Accedit quod eadem Pythagorae dicta in recentioribus codicibus Senecae libro, qui inscribitur ‚de moribus' extremo adhaeserunt (cf. Sen. opp. ed. Fr. Haase, III, pg. 467, § 144. 145), ubi, quoniam § 143 praecedit sententia de diabolo et ipsa manifesto ab homine christiano adiecta, de interpolatione dubitari non potest. Quare, quae in P propter argumenti similitudinem initio sententiarum, in multis codd. libri de moribus ad calcem assuta sunt, in optimo codice S et vetustissimis libelli de moribus (cf. Publilii Syri sent. ed. Ed. Woelfflin, pg. 147) desunt, cum praesertim ex Hieronymo fluxisse manifestum sit, merito a disquisitione mea exclusisse mihi videor.

II. Iam dicendum est de sententiis septem, qui dicuntur, Sapientium. In quibus hoc primum iustam admirationem habet, quod, cum in P septem Cleobuli, octo Solonis, septem Pittaci, sex Biantis, Periandri tres perscriptae sint, S sex tantum Cleobuli et Biantis quinque continet. Itaque nescias, utrum magis reprehendas auctorem sylloges Parisinae, quod Thaletem et Chilonem omisit, an scriptorem codicis Salmasiani, quod Solonem, Pittacum et Periandrum abiecit. Verum si Parisinum aetatis recentioris esse memineris, in contrariam potius partem sententiam dices. Videlicet ut praecepta Pythagorae et aenigmata Aristotelis, quia desunt in S, postea adiecta esse statuimus, ita, quod ad sententias VII Sapientium attinet, in S interpolationem arctis finibus contineri, in P iam latius serpsisse malum iudico; ideoque utriusque codicis sententiae a libro Senecae plane seiungendae sunt. Quod ut statuerem, his rationibus adductus sum:

Primum nulla satis idonea causa reperiri potest, qua, quod haec praecepta libro medio inserta sunt, excusetur. Nam si temporum ordinem respicias, non collocandae erant post Pythagoram et Aristotelem; si vero Graecos a Romanis separandos fuisse dicas, non minus turbatur et evertitur omne scriptoris consilium, quia, quod mox ad liquidum perducemus, sententiae quae sunt mediae inter Pythagoram et VII Sapientes, Senecae sunt philosophi. Deinde, etsi non ita multum tribuo singulari sententiarum brevitati, qua a reliquis aliquantum distant, haereo in accusativo cum infinitivo (Periandri *40*), de quo modo dictum est. Magis etiam recedit a dicendi genere, quod in ceteris sententiis regnat, infinitivi usus more Graecorum pro imperativo positi in iis praeceptis quae in solo P servata sunt, *19. 20. 22. 24. 25. 27 – 31. 41. 42:* quod cum inconstantiae tribuere non possim, alterius scriptoris stilum agnosco. Postremo, cum eaedem VII Sapientium sententiae in codice Parisino 8069 (p) margini adscriptae sint, in P et S quoque eas ex marginibus in ipsa Senecae verba irrepsisse crediderim. Offendisse videtur, qui has notas marginales codici p adscripsit, in his infinitivis, quippe qui eos imperativis commutare coeperit; mox tamen ita imminuta est correctoris audacia, ut in Pittaco sibi iam non constans scriberet ‚fidem servare etc.'

Et haec quidem sufficiant, ne suspicio nostra ex vano hausta esse dicatur. Glossematis has sententias (cf. *18. 23. 24. 35. 39.*) mirum in modum foedatas esse, non est quod moneam; quae autem sana sunt, ita aliquotiens concinunt cum ipsius Senecae monitis, ut, quamobrem idem aliis verbis bis dictum sit, vix intellegas. Cf. Cleob. *11* = 43, Cleob. *18* = 4, Solonis *19* = 50, Pittaci *31* = 34.

III. Multo difficilius est de tredecim sententiis Catonis certam proferre sententiam. Nam et in utroque codice leguntur et multo minus Annaeanis dissimiles sunt quam VII Sapientium. Intellegendum esse Catonem Censorium, non Uticensem, ex Senecae et Plutarchi locis ad *43. 44. 46. 48. 51* adscriptis facili negotio perspicitur, neque ceteras sententias, donec probetur contrarium, ad eundem Catonem referre dubito. Sed, ut sint Catonis omnes, quaeritur utrum ab interpolatore quodam primum in margine adnotatae, mox in verborum contextum receptae sint, an Seneca, quem reliquarum auctorem esse comprobabimus, ipse eas opusculo suo inseruerit. Et noverat sane Catonis senis dicta aliquot (epist. 94, 27): attamen aliter statuendum esse mihi videtur. Emergit enim ex iis quaedam vetusti sermonis imago, quam vix ausim Neronis temporibus conciliare, praesertim cum Senecam, si quid ex Catone sumpsit, sententiam reddidisse, verba ad suum iudicium accommodasse videam. Cf. ad *46*. Iam in hac ipsa sententia auctoritate codicis S scripsi *abs te* (P *a te*), quam formam esse et antiquiorem et a Seneca constanter spretam nemo erit qui neget. Cf. Acta semin. philol. Erlang. I, 120. Senec. epist. 8, 10 bis. 19, 4. 20, 7. 37, 2. 4 etc. infra s. 36. Praeterea praevalent longiores imperativi formae, *sumito 46*, *ignoscito 51* (*ignosce* P) *deliberato*, *facito 54* (ut etiam *52* pronum esset ex P emendare *obviato*, nisi refragaretur *cede*), cum Seneca amplius quadraginta locis breviores praetulerit, excepta forma *scito*, ab omnibus scriptoribus constanter probata. 84. 144. 173. Neque enim est, quod putes in corrupta codicis S scriptura s. 115 latere *cogitato*, cum s. 66 et 123 *cogita* scriptum inveniamus, et *credito* s. 92 (*crede* 99) facile excusatur, propterea quod praeceptum ad certum quoddam tempus (*cum audieris*) refertur. Adde, quod *55* pretium pro praemio (quae verbi significatio permansit in locutione ‚operae pretium est'), *43* dies pro tempore, *52* obviare pro occurrendi vocabulo posita sunt.

Quae si recte disputavi, non potest Seneca ipse haec suis immiscuisse, sed interpolatori praesto fuit collectio quaedam sententiarum Catonianarum, ex qua illa depromeret. Quid! quod in margine codicis Paris. 8069 eadem Catoniana sententiis VII Sapientium subiunguntur. Cf. Jul. Quicherat, bibl. de l'école des chartes, 2, 115 et Em. Tafel in editione Senecae et P. Syri mimorum, 1841, pg. 52 sq.

IV. Iam extritis Pythagora, Aristotele, VII Sapientibus, Catone Censorio ad reliquas libri partes examinandas transeamus, quibus ut longe plurimae sententiae continentur, ita auctorum nomina plane desiderantur, nisi quod ‚Catonis alterius' nomen in P sent. 112 praefixum est, quod tamen et ipsum mero errori deberi infra demonstrandum erit. Harum sententiarum etsi pars magna in Senecae libro ‚de moribus' legitur, haud multum hac re efficitur propter incertam huius opusculi auctoritatem. Pleraque omnia autem paucis glossematis exceptis Senecae philosophi esse et mihi persuasum est et prope diem diligentissima dissertatione ab ordine philosophorum academiae Wirceburgensis comprobata demonstrabit Jacobus Haas, ad quam lectores relegatos velim. Quem cum in Senecae operibus multum studii collocasse et dissertationis argumentum circumspicere comperissem, lubens ille in se recepit, ut summa cum cura inquireret, quae aut propter sententiam aut propter elocutionem Senecae vindicanda essent; et quod ille de plerisque sententiis adfirmavit, id ego ita in usum meum converto, ut omnes a Seneca profectas ese dicam. Sed, ne iusto longior fiam, trium argumentorum summam proponam, quartum suo loco reservaturus.

Ac primum quidem rariora quaedam vocabula, quae in sententiis occurrunt, sunt Annaeana, veluti *chirographum* (173. de benef. 2, 23, 2. epist. 94, 51), *adversatio* 68, *exonerare* 161, *angustare* 182, *suggillare* 68, *marcidus* 27, *parabilis* 21, et si qua dupliciter formantur, eas formas usurpari videmus, quas et Seneca probavit. Sic 21 legitur, *supervacuus*, cum ille quoque formam *supervacaneus* ubique fugerit; 55 *at mehercules*, Senecae valde adamatum, non *mehercule*, quod Ciceroni placuisse constat; 72 et 145 *etiamsi*, nusquam *etsi*, quod a Seneca evitatum esse docuerunt Fr. Haase et Naegler, de particularum usu apud Senecam rhet. 1873, pg. 6—9. Apparet autem multos scriptores *et si* non usurpasse nisi in afferenda altera conditione; concessivis particulis (ne dicam de aliis, veluti *quamquam*, *quamvis*, *licet*, *cum*) aut *etiamsi* aut *tametsi* usos esse, quorum ex numero sunt praeter Senecam patrem Sallustius, Vergilius, Horatius, Quintilianus — nam *etsi*, quod 10, 1, 65 legebatur, nuper ex codicibus correctum est.

Si verborum constructiones quaeras, quae Senecam prodant, 150 habes *convivere* cum dativo coniunctum, ut bis apud Senecam, cum Quintilianus aliique praepositionem ‚cum' praetulerint; a *prohibendi* verbo 193 infinitivum suspensum, ut constanter apud Senecam. Locutionum ac formularum has commemoraverim: *odia gratuita* 82, *di boni* 100, *prope est ut* 67. 82, *ad rem pertinet* 121, *senectutem in otium referre* 75, *ad emendationem proficere* 68 (Sen. de ira 1, 15, 3), *proximum ab innocentia* 93.

Non ignoro fore plerosque, qui, cum bonae latinitatis eandem ubique formam esse atque faciem contendant, talibus similitudinibus non ita multum tribuant; equidem

me nulli rei magis confidere aperte profiteor. Ut enim omnibus hominibus una eademque forma, suus tamen cuique vultus, quo facile dignoscas, ita omnes scriptores et boni et mali quaedam sibi propria vindicant. In ea accuratius inquirere cum ob alias causas, tum ideo gravissimum est, ut, cum saepe complurium scriptorum litterae in codicibus in unum coaluerint, suum cuique reddi possit. Itaque postquam elaboravi ut periocharum Livianarum conditorem ab interpolatore, Frontinum strategematum scriptorem a libri quarti auctore, Aurelium Victorem qui Caesares conscripsit, ab eo qui ,epitomen Caesarum' composuit discerneremus, aliquid experientiae accrevisse videtur, quo Senecam philosophum ab aliis morum praeceptoribus, Catonem censorium a Seneca recte distinguam.

Quamquam illud largiendum non posse originem Annaeanam harum sententiarum ex uno verborum concentu concludi, sed eundem concentum reperiri debere in ipsis rebus, quae praecipiuntur. Sententiarum autem concordantium tam multa in adnotatione adscripsi exempla, ut sufficiat contulisse commentarium criticum ad sent. 1. 2. 10. 21. 47. 48. 79. 157. 170. Et quo facilius tibi persuadeas etiam eos locos, quos numeris significasse satis habui, proxime accedere ad sent. nostras, speciminis causa conferre iuvabit s. 19 cum lib. benef. 2, 5, 3 ,acerbissima crudelitas est, quae trahit poenam, et misericordiae genus est cito occidere', et sent. 26 (mala conscientia saepe tuta est, secura numquam) cum epist. 97, 13 ,tuta scelera esse possunt, secura non possunt'. Quin etiam spes est fieri posse, ut hic vel ille Senecae locus comparatis monitis illustretur. Sic mirum est Senecam epist. 25, 6, postquam monuit omnia ita facienda esse tamquam spectet Epicurus, his verbis pergere: ,Licebit dimittas paedagogum, dum te efficis eum, cum quo peccare non audeas'. Immo coram quo, opinor, coll. s. 146: ,Dignus tibi videre, coram quo te peccare pudeat'. Rursus corruptam codicis P scripturam ex Seneca emendavi 174.

Si vero nihil aliud, epilogus certe libellum Senecae esse prodit. Qui quod in S desideratur, ideo non in suspicionem vocandus est — fuit enim, qui codicem S scripsit, adeo non laboris patiens, ut in s. 169 scribendi finem faceret; permirum autem, quod in P duobus locis scriptus est, et suo loco in fine libelli fol. 23 recto (P^1) et iterum fol. 44 recto (P^2). Ac prima statim verba ,Habes, mi Rufe' etc. admonent loci in fine libri de tranq. an. scripti (17, 12 ,Habes, Serene carissime', etc.); quae sequuntur, ,non est quod putes' ,seminum loco' et ,in exiguo totius operis summam' non minus Senecae stilum redolent (cf. epist. 38, 2 seminis modo, et 53, 11 totum in exiguo): denique sententia Stoicorum in fine expressa plane eadem est, quam legimus epist. 31, 11 ,Quid aliud voces bonum animum, quam deum in corpore humano hospitantem?'

Non alienum tamen videtur hoc loco quorundam reprehensioni occurrere, qui ex ipso epilogo (,habes congesta omnium praecepta') non Senecam hoc opusculum edidisse, sed admiratorem quendam eius sapientiae et eloquentiae sententias et ex Seneca et ex aliorum philosophorum libris congessisse colligant. Audio. At primum ,omnium', quod in P^2 legitur, et insulsum est et ,mirifice' eodem loco scriptum interpolatorem sapit. Qui potuit enim, quisquis fuit libelli auctor, cum viam vitae honestae monstrare vellet, flores ex omnibus omnium philosophorum disciplinis decerpere, quos in plerisque sibi contra dicere satis constat? Recte autem dicitur Seneca praecepta ,congessisse', quippe qui non novae sectae antistes fuerit, sed philosophiam suam magnam partem Stoicis et Epicuro debeat. Quin immo insunt aliquot Socratis dicta 42. 115. 147, quorum primum Seneca ipse Socratis esse monuit. Neque solum Senecam ex Graecis, sed ex suis ipsius operibus praecepta moralia collegisse dixerim, cum praesertim hunc libellum brevi ante mortem conscriptum esse veri simile sit. Cf. pg. 15.

Postquam de Seneca libri auctore quid mihi videatur aperui, restat ut de ,Catone altero' (cf. adn. ad s. 112) dicam. Non poterat Seneca septuaginta Catonis Uticensis sententias proferre, quem nihil huius generis scripti reliquisse satis constat: ipsa autem praecepta cum Senecae philosophia congruentia et dicendi genus, sicut modo ostendimus, L. Annaeum verum esse auctorem clamant. Sed ne quis facile intelligi obiciat, quo pacto scriptoris nomen in fronte libri interciderit (nam idem accidit in Publilii sententiis), non intelligi quomodo falsum ,Catonis alterius' illatum sit, tenendum hanc codicis P inscriptionem non minus ad interpolatorem quendam referendam esse quam reliquas eiusdem libri omnes. Scilicet cum sententiae Catonis tredecim libro medio insertae essent, librario cavendum erat, ne quis s. 112 seqq. quoque eiusdem Catonis esse crederet; et cum eas Senecae esse ipse ignoraret, hoc recte monuit alterum quendam Catonem intelligendum esse, cui nomini omne fere sententiarum moralium genus adscribi solitum esse ex distichis Catonis colligas. Itaque quamquam sent. 112—188 minime sunt subditiciae, inscriptio tum demum poterat praefigi, cum sententiae Catonis Censorii ab interpolatore libello immixtae essent.

V. Iam si quis quaerat, scripseritne Seneca hunc sententiarum libellum talem, qualem ex codicibus edidi, an eum a pristina forma aliquantum degeneravisse statuendum sit, ipso sententiarum numero librarios et codicis S et P nonnulla hic illic ex arbitrio omisisse arguitur. Nam praeterquam quod S in s. 169 deficit, alia in uno S, alia in solo P leguntur, neque ita tamen, ut quae in recentiore P extant, pro additamentis posterioris aevi habere liceat, nisi contigerit, ut eorum fontes aperiamus. Ut igitur in universum aestimanti lectiones codicis S propius absunt ab ipsius Senecae

manu, P tamen aliquot locis meliores servavit, ita quae sententiae in uno P traditae sunt, non statim sunt reiciendae.

Sed temporibus Caroli Magni vel paulo ante hic Senecae liber maiores etiam subiit fortunae vices: neque enim in eo acquieverunt librarii, ut tota sententiarum capita aliorum philosophorum insererent, quod in S et P factum esse vidimus, sed singulas variis locis adscripserunt, ut eas agnoscere admodum sit difficile. Videlicet longe aliter accidit in his opusculis sententiosis atque in orationibus vel dialogis Ciceronis et rerum gestarum libris. Nam quia singulae sententiae plerumque nullo vinculo inter se conectuntur, pronum erat alias inserere, pronum eas omittere, quae minus placerent aut obscurae essent. Itaque quod in ceterorum scriptorum codicibus raro accidit, ut universa enuntiata modo addantur, modo omittantur, in hoc litterarum genere multo saepius factum est. Documento sunt Publilii sententiae; sed etiam, quem dicere consuevimus librum ‚de moribus', est ille quidem magna ex parte idem cum nostro Annaeano Monitorum libello, sed ita et mutilatus et rursus interpolationibus ampliatus, ut, nisi haberemus S et P, de auctore et auctoritate certum iudicium fieri non posset. Non solum enim, qui librum ‚de moribus' congessit, iam usus est codice Pythagorae, VII Sapientium, Catonis Censorii sententiis adaucto, sed duas eiusdem libri epitomas, quarum prior, ut collatis proverbiis intelligitur, in §. 20 finitur, tanta socordia in unum conflavit, ut eadem sententia bis legatur, 15 et 117, et revulsa 9 a 74 *tamen* priore loco redundet (cf. infra ad 43); praeterea ex Cicerone nonnulla (§ 18. 20), alia ex Lactantio (3. 4), ne dicam de diabolo (143), addita esse patet.

Codice eodem modo depravato usus est, qui in locum versuum Publilianorum a litteris N usque ad V incipientium alias sententias prosa oratione conscriptas (‚proverbia' appellavi, π, quo distinguerem a libro de moribus. cf. Publilii edit. pg. 34) substituit. Nam etsi non ex eo ipso libro hausit, quem ex codicibus saec. IX. et X. post Publilium pg. 136 sqq. edidi, ita tamen, quem excerpsit, huic similis fuit, ut libro Senecae alia detracta, alia (veluti ex Plinii epistulis prov. 32. 93. pg. 95 et 105 edit. Publil.) adiecta esse intellegatur. Quae cum ita sint, non negaverim latere in M et π quasdam libri Annaeani sententias in SP praetermissas; sed quoniam in iisdem M et π multa aliunde adsumpta sunt, incertis his Senecae fragmentis neglectis, quae indagare unicuique facile erit, in SP consistere malui.

Passim in codd. S et P eaedem sententiae bis scriptae inveniuntur, qua de re disseruit Jacobus Haas. Sed facili negotio non solum, quo quaeque loco retinenda, quo delenda sit demonstrari potest, verum etiam, quae fuerit illius erroris causa et origo. Scilicet s. 79 et 100 cum iam in eo codice, ex quo S fluxit, leviter corruptae

essent (79 *vitabo* pro *devitabo*, 100 *conquam* pro *quam*), librarius utramque sententiam correctam margini adscripsit, quo factum est ut, qui codicem S exaravit, et corruptas suo loco retineret et emendatas falso, sed eodem utramque loco (hanc post 94, illam ante 95) insereret. Sedem autem sententiae 79 defendit similitudo s. 78 et 80; denique corruptae et emendatae sententiae tam exiguo intervallo disiunctae sunt, ut id vix unius paginae spatium impleat. Item quod s. 81 in P post 172 emendatior iteratur, ex corruptela prioris loci (*amicos secretum* pro *amicum secreto*) explicandum esse existimo.

Aliud quoddam accidit in s. Cleobuli *16* (Ne abiciat te calamitas, ne felicitas ecferat) in SP iam post s. 16 (In infelicitate te erige, in felicitate submitte) scripta praemissis verbis ‚id est'; hic enim similitudo praecepti potius alteram attraxit. Cum autem et Stobaeus eam Cleobulo vindicet et s. *16*^{a} Cleobuli (quam tamen pro glossemate accipere malim) idem fere praecipiatur, dubium esse non potest, quin priore loco sit damnanda: accedit quod interpretationis formula ‚id est' ne uno quidem exemplo libri Annaeani defenditur (cfr. aenigmata Aristotelis). Hanc eiusdem sententiae repetionem quoniam S communem habet cum P, quem ipsum ex S descriptum esse incredibile est, colligitur iam in archetypo id vitium admissum fuisse. Sed maiores etiam eiusdem generis turbas excitavit sive is ipse qui codicem P scripsit, sive ille, cuius exemplum hic secutus est. Adeo etenim lubidini ille indulsit, ut paene quotiens duas sententias invenisset, quibus idem vel simile quoddam praeciperetur, eas particulis *enim*, similibus additis coniungeret. Sic Solonis sententiam *25* suo loco non deletam (Mala domestica occultare) cum Cleobuli *14* (Sic cum uxore vive etc.) conexuit, Catonis senis *53* (Somno pro servo, non pro domino utere) cum s. 149 (turpe est orientem solem raro videre) coniunxit, Pittaci sententiam *32* (Tempori parce) eandem ‚Catoni alteri' tribuit (ad 117), eique similem de inopia temporis (Nullius e n i m rei tanta inopia laboramus quam temporis) subiunxit, quam post 150 rectius collocari S docet. Postremo appendicem s. 57 (itaque . . . moriturus) iudico male repetitam esse aut ex s. 32 aut hanc ex illa.

Restat, ut hoc capite de glossematis quaeratur, non de singulis dico vocabulis (cf. 118 *alteri* om. P, 172 *mutari se* M), sed de totis enuntiatis interpretandi causa adiectis. Cuius generis complura exempla cum praebeant sententiae VII Sapientium (*16*^{a}. *18. 23. 24. 35. 39?*), rariora inveniuntur in Seneca praeceptis. Adeo enim s. 12 non eicienda est, ut potius cum 11 coniungenda esse videatur. Magis friget 26^{a} post 26, 65^{a} post 65; appendix s. 41 idem docet quod 170; 88 offendunt duae explicationes particulis *itaque* et *enim* adnexae, quarum altera delenda esse videtur. Ieiuna porro est s. 140^{a}, dubia fortasse res in s. 147, nisi praevaleret auctoritas codicis S. Denique

sententiam 2[a] in uno P servatam num recte eiecerim, aliorum erit iudicium; observandum tamen locum ipsum, quem tenet inter media aenigmata, suspicioni suffragari.

De ordine sententiarum nihil certi habeo quod proponam: sed cum tam multa turbata esse videam, ne hunc quidem integrum esse adfirmare ausim; et si ex similibus libris coniecturam capere liceret, initium faciendum esset a s. 4 addendumque quid diis debeatur. Nunc de iisdem rebus variis locis dictum esse apparet, de amicitia 8. 140. 141. 172[a]; de nobilitate 62. 73; de testamento 130. 178 etc.

VI. Quamquam supra capite quarto in plerisque sententiis perlucere colorem Annaeanum demonstratum est et ipsa codicum vetustate eorum praestantia confirmari videtur, minime tamen id ita intelligi velim, quasi orationis forma integra ad nos pervenerit. Immo si quis perspexerit, quantum discrepet P a S, quantum M π a P (discrepant autem ita, ut equidem nullius scriptoris norim codices, qui comparari possint), is coniectando facile assequetur, quantum codex S a Senecae chirographo desciverit. Neque poterit sane melius de codicibus SP existimari, quoniam eosdem librarios, qui tanta licentia in inserendis et omittendis enuntiatis usi sunt, in transcribendo omnem continentiae et diligentiae laudem sibi parasse nemo erit, qui praesumere velit. Quo facilius vero intelligi possit, qua fere ratione Senecae elocutionem vitiatam esse putem, tria genera perlustrasse sufficiat.

Primum continetur in particulis *enim, autem* similibus ad conectendas sententias additis, P 41. 65[a]. 66. 69. 77[a]. 88[ab]. 98. 149. M 155. 164. *43* (*nam 48* loco Plutarcheo defenditur), cum Senecam, quae explicandi gratia addidit, saepe ἀσυνδέτως subiunxisse testentur s. 12. 41. 45. 82. 84 etc. Qua de re etsi saepius in utramque partem disputari potest, non desunt tamen loci, in quibus dubitationi nullus locus relinquatur. Cf. 131[a], et supra pg. 11.

Alteri generi eas sententias assigno, in quibus Senecae verba colore christiano tincta sunt. Illum cum ‚di boni' (100) et ‚deos propitios' in epilogo scripsisse consentaneum sit (cf. etiam 132), aliis locis ‚deos' cessisse singulari numero crediderim, non quod Senecam saepe singulari usum esse ignorem, sed quia et ipsi codices variant (56 *ad deos redigere* S, *deo delegare* PM) et loci quidam Senecae collati coniecturae fidem faciunt. Nam de benef. 3, 15, 4 scripsit ‚qui dat beneficia, deos imitatur', cum s. 10 traditum sit in S: ‚quid est beneficia dare? imitari deum', in aliquot codd. M 47, si fides est Haasio ‚deo deum', quod ex ‚deos deum' ortum esse videtur. Talia editorem, ut sibi caveat, valde admonent, nisi forte dicere mavis Senecae senis animum magis ad unum deum inclinasse. Sen. fragm. 27 H. Pythag. *3*. Nolim tamen singularem sollicitare in s. 53.

In illo vero de beneficiis loco, quem modo protuli, S ita quoque a Seneca discrepat, ut eadem sententia in interrogationis et responsionis formam sit conversa, quae quamquam minime est a philosopho aliena (cf. epist. 31, 6 Quid est bonum? rerum scientia. quid malum? rerum imperitia.), et in epistulis ad amicum datis maxime excusata, in sententiis tamen nostris saepius etiam eam admissam esse facile intellegitur. Cf. 14 ‚Quis est pauper? qui sibi videtur' cum Sen. r. fort. 10, 1 ‚pauper es, quia videris', et 79 ‚Quomodo devitabo invidiam? si diviseris etc.' cum Sen. epist. 105, 3 ‚Sic invidiam effugies, si ingesseris etc.' Quantum autem monachi delectati sint talibus aenigmatis cum alia docent, tum Joca monachorum, quae edidi in Actis menstr. acad. Berol. 1872, 106 sqq. Cf. etiam sent. 105 cum Auson. sept. Sap. 1, 4. Quae cum ita sint, aliquot Monita in Aenigmata conversa esse suspicor.

Quodsi has sententias Senecae esse comprobavi, sequitur ut neque has neque quas postea additas esse docui, Pythagorae, VII Sapientium, Catonis metro umquam adstrictas fuisse censeam. Quare, quod ante hos decem annos caute scripsi, inveniri in libro de moribus unum vel alterum senarium et tetrametrum (Publ. Syr. p. 35 extr.), id codice Salmasiano meliora edoctus defendi vix posse video. Cum enim, qui ultro se offerebat versus § 10 ‚Multos vitam differentes mors incerta praevenit', quique unus me in illam opinionem induxerat, in vetustissimo codice aliter scriptum esse nunc constet (ad 48), nihil iam fundamenti superest talis coniecturae. Frustra igitur Otto Ribbeck append. Comic. lat. edit. II. v. 102 ex sententia 51 versum elicere conatus est, cum codicibus libri M, qui quantopere corrupti sint, ex comparatione codicum SP elucet, insistens scriberet: Succurre amico pauperi, immo occurrito. (*occurris cuire* Par. *civi* Rib.). Ac sane haud ita facile fuit ad perspiciendum, unde codicis Parisini 7581 lectio *cuire* fluxisset; perspexit tamen M. Bonnet illius corruptelae explicationem repetendam esse ex sententiae sequentis 52 initio ‚Sic vive ut'. Quod vero idem Ribbeckius multas alias libri de moribus sententias iambico metro donavit, id nolo hoc loco impugnare, quia cum omne illud versuum pangendorum consilium invitis Musis suscepisse apparet: unum addo praeter falsam de codicibus existimationem ne de sententia quidem mihi constare, quam primo statim enuntiato inesse credat. Tu vide quam bene se habeat libri de moribus initium (Omne peccatum actio est; actio autem omnis voluntaria est tam honesta quam turpis: ergo voluntarium est omne peccatum. Tollite excusationem: nemo peccat invitus.), quam contra claudicet, quem inde effecit, versus:

Invitus nemo peccat: peccatum actiost.

cum sublata notione ‚voluntarii' eum ab arte grammatica et metrica quidem stare, sed sententia iusta plane carere nemo non intellegat.

VII. Dicendum tandem de eo, ex quo alii exordium capere solent, de inscriptione huius, qualiscunque fuit, libelli. ‚Sententiarum' titulum, etsi commendatur libro simili Publilii, defendere non ausim, propterea quod ‚sententiae Cleobuli' etc. et Catonis postea insertae sunt: ‚Praecepta' melius tueare et M. Catonis exemplo et epilogo (Habes congesta praecepta) et inscriptione codicis P ‚Praecepta Pythagorae', si quidem haec verba, etsi leguntur apud Hieronymum, in locum tituli genuini successisse videri possunt. Et usus est hoc vocabulo Seneca saepissime, veluti epist. 14, 10. 38, 2. dial. 7, 15, 5. Quod plerique Senecae editores praetulerunt ‚de moribus', quamquam codicum, qui mihi innotuerunt, fide non nititur (cf. Publ. Syr. p. 136), adeo tamen, si rem spectas, falsum non est, ut, cum praecepta ad quamlibet artem transferre liceat, coniungere possis ‚Praecepta de moribus': spectant enim omnia ad philosophiam moralem.

Sed ipsum, quo Seneca usus est, vocabulum ex codice vetustissimo S recuperari posse existimo. Hic etsi p. 205 extr. inscriptione plane caret et subscriptionis loco (pg. 228, vers. 24) nihil habet nisi EXPLICIT FELICITER, eo meliore fortuna utimur in eo libro, qui in codice S illum excipit, id est in libro de remediis fortuitorum. Nimirum eius inscriptio p. 228, v. 25 haec est: INCIP. LUCI ANAEI SENICE MONITA, subscriptio p. 238 extr. LUCI ANNEI SENECE AD GALLIONEM FRATREM DE REMEDIIS FORTUITORUM EXPL. En habes, quod abundet et meo quidem iudicio ad priorem libellum redundet. Nam ut ‚Monita' male referuntur ad librum de remediis fortuitorum, ita optime retrahuntur ad ‚Praecepta'. Quid! quod alias quoque subscriptionem et inscriptionem in unum coaluisse et labem traxisse novimus. Cum autem ‚monita' et ‚praecepta' saepe coniungantur (Cic. Phil. 14, 7. epist. 5, 13, 3. 6, 6, 3. 10, 3, 4), et scriptores veteres in librorum titulis haud raro varient (ex. gr. De viris illustribus, de excellentibus ducibus), Senecam ipsum in fronte libri Monita, in epilogo Praecepta scripsisse crediderim. Ad illud tu attende animum argumentatione nostra probata etiam controversiam, a quo liber scriptus sit, ipso codice S (Senecae Monita) plane dirimi.

Operae pretium esset cum cura inquirere, utrum patres ecclesiastici qui dicuntur hoc Senecae libro usi essent necne; quod ut facerem cum mihi tempus non suppeteret, hoc tamen adfirmare possum Martinum Dumiensem episcopum, qui librum de formula honestae vitae ad Mironem Galliciae regem misit, non ignarum fuisse Monitorum. Cf. quae adnotavimus ad 18. 29. 103. 121. 126. 156. Nec sane mirum in Hispania hunc Senecae Cordubensis libellum lectitatum esse. Ceterum desideratur adhuc Martini editio apparatu critico instructa, qua curata historia operum Annaeanorum illustrari posset; nam si sententia 3, 1 (Nihil aliud magnum in rebus humanis nisi animus magna despiciens = M 44) inclusa a Haasio legitur in optimis codicibus, verisimile esset, quod

supra suspicatus sum, inesse etiam in M Monitorum fragmenta in SP omissa. Similem sententiam cum apud Lactantium inveniam (inst. 6, 1 Magni animi est despicere mortalia), iam hunc scriptorem, quem Senecae libris multum tribuisse constat (cf. fragm. Sen. 14 seqq. 26 seqq. 119 seqq. edit. Haas.), Monitis usum esse probabile est; immo pro certo et explorato habeo collatis his locis: instit. 1, 9 ‚non fortior iudicandus est, qui leonem quam qui violentiam et iracundiam superat' (= 65); 6, 17 ‚timidi est animi metuere egestatem' (= 100); 6, 23 ‚iniquum est, ut id exigas, quod praestare ipse non possis' (= 137).

In fragmentis Senecae a Haasio editis nullam invenies Monitorum mentionem: nec tamen satis causae est, cur illa pro epitoma aut exhortationum aut philosophiae librorum habeamus. Equidem ad Monita referre malim, quae Dio Cassius 62, 25 scripsit: *οὐ μέντοι πρότερον ἑαυτοῦ ἥψατο πρὶν τό τε βιβλίον ὃ συνέγραφεν ἐπανορθῶσαι καὶ τἄλλα, ἐδεδίει γὰρ μὴ καὶ ἐς τὸν Νέρωνα ἐλθόντα φθαρῇ, παρακαταθέσθαι τισίν:* opus postumum enim et post Neronis mortem divulgatum facile crediderim nec in omnium manus pervenisse et, cum a corpore ceterorum recisum esset, de auctoritate Senecae postea dubitari coeptum esse.

VIII. Consulto adhuc distulimus sententias Rufi in fine libri perscriptas, quia, cum genere universo reliquis sint simillimae, habent tamen, quod proprium sibi vindicent. Nam genus dicendi invenies plane concinere cum Annaeano, veluti 196 formulam illam ‚satius est' mirifice adamatam Senecae, 201 ‚voluptati indulgere' = Epist. 111, 10, 197 ‚regnum fortunae' = dial. 1, 6, 7. 6, 10, 6: positivo et comparativo sibi oppositis (192 liber, liberior) simile exemplum praebet Sen. epist. 103, 4 ‚in huius sacrario eris aut tutus aut tutior'. Si quis autem verbis non multum tribuendum esse moneat, ipsae sententiae veram originem satis declarant. Quem enim alium de libertate Bruti morte parta (191) dixisse putes, nisi Senecam, qui idem dial. 6, 16, 2 Romanos libertatem Bruto debere scripsit? Nolo premere singula, veluti 192 mortem voluntariam Stoicorum more commendatam, et s. 195 quasi repetitam ex libris de benef. (2, 5, 3 quod antecedit tempus, maxima venturi supplicii pars est); sed adeo omnia Senecam monstrant, ut auctorem manibus tenere tibi videaris.

At, obiecerit fortasse quispiam, si sententiae sunt eiusdem Senecae, qui factum est, ut ab reliquis novo titulo distinguerentur? Et Rufum quidem etsi eundem esse apparet, ad quem libellus missus est (cf. epilogum), eius tamen ipsius inesse sententias, cui Seneca librum dedicaverat, vix erit qui persuadere sibi velit. Itaque nihil restat nisi ut ‚sententias Rufi' errore librarii eas dictas esse statuamus, quae re vera ad

Rufum datae essent. Id cum de omnibus valeat, quattuordecim tamen illae, quae in calce adiectae sunt, hoc habent singulare, quod omnes ad mortem, ad libertatem, ad dominationem pertinent. Quod qui semel perspexerit, eandem, opinor, mecum explicandi viam ingredietur. Scilicet ut priores sententiae omnes ex animo Senecae dictae sunt, nonnullae ipsius vita optime illustrantur (cf. 150 et 34, in qua philosophum et maiorem natu et minorem habuisse fratrem memineris), ita extremae ad unam omnes tempus coniurationis Pisonianae, quae et Senecae ruinam traxit, repraesentant. Quin etiam s. 195 videor mihi videre philosophum balneo inlatum. Quid multa! Evolve Tacitum et morientis extremas voces libro Monitorum adiectas esse intelleges. Scripsit autem ille libro ab excessu Divi Augusti XV. cap. 63: ‚Et novissimo quoque momento suppeditante eloquentia advocatis scriptoribus pleraque tradidit, quae in vulgus edita eius verbis invertere supersedeo'. cap. 64. ‚Postremo stagnum calidae aquae introiit, respergens proximos servorum, addita voce libare se liquorem illum Jovi Liberatori. Exin balneo inlatus et vapore eius exanimatus sine ullo funeris sollemni crematur'. 67. ‚Ipsa rettuli verba (Subrii Flavii postrema ante mortem), quia non ut Senecae vulgata erant'. Iam odoraberis quoque, quis fuerit Rufus ille: suspicor enim intellegendum esse Faenium Rufum, praefectum praetorio. Is quod prodito coniuratorum consilio non tam fortiter a Seneca stetit quam Burrus, qui quamdiu Seneca apud principem gratia florebat, omnem potentiam cum amico divisit, id augurari, cum hunc librum scriberet, minime poterat. Quodsi autem Monitorum librum a Seneca brevi ante mortem conscriptum esse recte coniecimus, facile explicatur, cur huic potissimum libro extremae voces additae sint. — Explicandi rationes proposuimus, quas ingenium subministrabat: iam iterum perlustra, si illas admittendas putes, et Monita et sententias libro extremo subiunctas; multa tecte de Nerone dicta esse, multa ad ipsum Senecam pertinere intelleges: erit fortasse qui, quod liber a divitiarum definitione incipit, non casu factum esse arbitretur.

Videtis, Commilitones humanissimi, quam lubricam ingredi viam coeperimus. Sero forsitan centurio clamabit: ‚Signifer, siste signum; hic optime manebimus'. Sententias esse Senecae me comprobasse confido; utrum ipse hunc libellum ad Rufum miserit, an post eius mortem nescio quis sententias ex Senecae operibus maximam partem deperditis congesserit et in vulgus ediderit, de ea re minus constare haud diffiteor. Sed in novis inventis proprio Marte periclitandum est; multa addent anni, multa dement. Vos autem cogitate aliud esse temeritati locum dare, aliud audere sapere.

Praecepta Pythagorae.

(1) *Fuganda sunt omnibus modis et igni ac ferro abscidenda totoque artificio separanda languor a corpore, inperitia ab animo, luxuria a ventre, a civitate seditio, a domo discordia et in commune a cunctis rebus intemperantia.* (2) *Amicorum cuncta esse communia et amicum se ipsum esse alterum, duorumque temporum maxime habendam curam, mane et vesperi, id est eorum quae acturi sumus et eorum quae gessimus.* (3) *Post deum veritatem colendam, quae sola homines deo proximos facit. Aenigmata, quae Aristoteles philosophus posuit.* (4) *Stateram ne transsilias: id est ne praetergrediaris iustitiam.* (5) *Ignem gladio ne fodias: [id est] iratum videlicet et tumidum animum verbis maledicis ne lacessas.* (6) *Coronam minime carpendam: id est leges*

Discrepantia codicum. *S = codex Salmasianus; P = codex Parisinus 4841; M = liber de moribus, cuius selectas adscripsi varias lectiones (cf. Publilii Syri sententiae. Edid. Ed. Woelfflin, 1869, pg. 136 sqq.); π = ‚proverbia' in codd. Publilii sententiis falso inserta (cf. ibid. pg. 90 sqq.); p = codex Paris. lat. 8069 saec. XIV, in sententiis septem sapientium ita adhibitus, ut potissimam tantum varietatem scripturae adnotarem.*

1 = M 144 editionis Hasianae. Pitagorae *P.* Fuganda (φυγαδευτέον) *Hieronymus contra Rufin. 3, 39 (II. 565 ed. Vallars.)*, fugienda *P.* langores *vel* langorem *P*; inpericia *et* luxuria *idem lineola supra* a *erasa.* et] *transposui; post* ferro *P.* abscindenda (περικοπτέον) *Hieron. M.* *2 = M 145.* amicum *Hieronymus l. l.*, amicis *P.* avarumque *P.* id est *Hieron.* et *P.* quae et act. *P.* gesserimus *Hier.* *3 = M 145 extr.* deo *P*, diis *M.* Aenigmata etc.] *Hieron. l. l. Aristot. frag. p. 71 edit. Didotianae 1869, vol. V p. 1512 edit. Berol. 1870.* posuit] in suis libris prosequitur *Hieron. an* perscripsit? ἀνέγραψεν (*Porphyr. vit. Pythag. 41*). *4* id est] id *P*, *sed erasa littera* ſ, *ut librarius* id significat *scribere voluisse videatur. Cf. 5 et* 16. *5* fodias *Hier.* confodias *P*, *fortasse ortum ex* non fodias. id est] idſ *P*, *om. Hier.* lacessas *Hier.* leseris *P.* *cf. pg.* 4.

urbium conservandas. (*7*) *Cor non comedendum: id est dolorem de animo proiciendum* [*ut proficiens non deficiat*]. (*8*) *Cum profectus fueris, ne redeas: post mortem vitam istam ne desideres.* (*9*) *Per viam publicam ne ambules: id est ne multorum sequaris errores.* (*10*) *Hirundinem in domo non recipiendam: id est garrulos et verbosos homines sub eodem tecto non habendos.* (*11*) *Oneratis superponendum onus, deponentibus non communicandum: ad virtutem incedentibus augenda praecepta, tradentes se otio relinquendos.*

L. Annaei Senecae Monita.

1. Quae sunt maximae divitiae? || non desiderare divitias. 2. Quis plurimum habet? qui minimum cupit. (2a) [Deus mercedem a bono non exigit, a malo non recipit.] 3. Quae est maxima egestas? avaritia. 4. Pietatem parentibus praesta, indulgentiam amicis, operam civibus, fidem etiam hostibus. 5. Pecuniae imperare oportet, non servire. 6. Aeque magna dementia est concupiscere mortem quam timere. 7. Nullum magis conscium peccatorum tuorum timueris quam te; alios enim effugere poteris, te numquam. 8. Quis est iucundissimus amicus? coram quo te solum non putes esse. quis est fidelissimus? coram quo te solum putes esse. 9. Quod est certissimum adversus fortunam praesidium? animi constantia. *10. Quid est beneficia dare? imitari deum. 11. Libenter feras, quod necesse est. 12. Dolor patientia vincitur. 13. Quis est pauper?

---

7 dolorem] maerorem *Hier.* ut . . . deficiat *om. Hier.* 8 ne des. *Hieron.* non des. *P.* *10* Irundinem *P.* in domum non suscip. *Hier.* ἐν οἰκίαις δέχεσθαι *Porphyrius.* *11* honus *P.*

1 = *S 1, P 12, M 45, π 68. Sen. epist. 14, 17* is maxime divitiis fruitur, qui minime divitiis indiget. maximae] magnae *M.* devitiae *S.* || *Incip. S. pag. 206.* 2 = *S 2, P 13, M 46, π 69. Sen. epist. 108, 11* is minimo eget mortalis, qui minimum cupit. *id. 119, 6* qui multum habet, plus cupit. *Auson. VII Sap. Bias 3. Caec. Balb. Monac. 12, 8 pg. 23. Stobaei floril. 17, 31.* qui] is qui *M π.* 2a = *P 14, om. S. Sententiam interpretationem eius esse crediderim, quae legitur π 3* ‚Non aspicias quam plenas quis deo manus, sed quam puras admoveat'. 3 = *S 3, P 15, M 57. cf. Publil. v. 236.* quae maxime gesta est *S*; *de collocatione verborum cf.* 1. 8. 9. 10. 13. 4 = *P 16, M 30, π 44.* prestat *S*; praestabis par. pi. cognatis indulgentiam (*π* dilectionem) amicis fidem, omnibus aequitatem *M.* 5 = *P 17, M 58, π 46.* oportit *S*, opportet *P.* 6 = *P 18.* aeque] et quam *S*, equae *P.* quam] non *P.* 7 = *P 19, M 59.* qua te *S*, quam temet ipsum *M.* eff. poteris *SP*, potes eff. *M.* 8 = *P 20.* solus non potes *et* quoram quo te solus potes *P.* 9 = *P 21.* Qui *S.* certissimum] fortissimum *P*; *cf. infra 199.* animi constantia *scripsi:* DE ANIMI CONSTANTIA *inscriptionis loco P*, animus et amicus *S.* 10 = *M 47, π 70, om. P. Sen. ben. 3, 15, 4* qui dat beneficia, deos imitatur. imatari *S pr. m.* 11 = *P 22, M 6.* feras *M*, *quod sent. 12 commendatur et Sexti sent. 119. Gildem.* fer quod necesse est, sicut necesse est; facias *S*, fac *P.* qui *S.* 12 = *P 23, M 6 extr.* 13 = *P 24, M 60, π 71. Sen. rem. fort. 10, 1. 16, 10.*

qui sibi videtur. 14. Qui a multis timetur, multos timet. 15. Dignitas est non usum honoribus, sed dignum esse. 16. In infelicitate te erige, in felicitate submitte [id est, ne abiciat te calamitas, ne felicitas efferat]. *17. Id age, ut libenter tecum esse possis. 18. Non quam multis placeas, sed qualibus specta; malis enim displicere laudari est. 19. Numquam [cum] servaveris, cui mori expedierit, ne misericordia tua crudelitas sit. 20. Multum interest, quomodo vivas, nihil quomodo moriaris. 21. Necessaria parabilia sunt; || nihil satis est supervacua cupienti. 22. Et facillimum vectigal est et honestissimum parsimonia. 23. Expeditius ad divitias iter est inpensas minuere quam pecuniam augere. *24. Numquam te infelicis innocentiam . . . paeniteat. *25. Nequitia ipsa poena sui est. 26. Mala conscientia saepe tuta est, secura numquam. (26a) [Itaque nihil tibi commiseris, nisi quod committere etiam inimico tuo possis.] 27. Da operam, uti nec in negotio sis inquietus nec in otio marcidus. 28. In senectute iuvenem age, in adulescentia senem. 29. Libidinis initia continebis, si exitum cogitaveris. 30. Cum fratre sic divide, ut animorum consortium maneat. 31. Beneficii accepti numquam oblivisci oportet, dati protinus. 32. Vive tamquam victurus, vive tamquam moriturus.

Varronis sent. 94. his qui sini *S.* videtur dives *π*, dives videtur *M*, aliquid videtur *codd. Sangall. libri M.* 14 = *P 25, M 61. Sen. epist. 105, 4. Publ. Syr. v. 338.* 15 = *P 26.* esse *post* usum *S, om. P.* 16 = *P 27, M 62.* in infelicitate te *scripsi:* infelicitate *P pr. m.* infelicitatem (*i. e. infelicem*) *P sec. m. SM.* erigere *S.* in felicitate *scripsi:* felicitatem *SPM.* summitte *S.* idſ nec . . . nec *P*; *de glossemate codicibus SP communi cf. infra sent. Cleobuli 16.* 17 *om. P.* possit *S.* 18 = *P 28, M 8, π 12. Sen. rem. fort. 7, 1* nunc malis displicere laudari est. *Mart. Dum. form. hon. vitae 2, 11* (*Sen. ed. Has. 3, 468*) nec quam multis, sed qualibus placeas, cogita. numquam *P.* specta] expecta *SPM*, stude *π.* laudabile *P.* est] es *S. Ceterum Mπ alteram partem sententiae omittunt.* 19 = *P 29. Cf. Sen. ben. 2, 5, 3.* eum *om. P.* expedit ne in mis. *P.* 20 = *P 30.* interest] enim est *S*; *cf. ad* 23. bibas *S.* 21 = *P 31. Sen. epist. 4, 10* parabile est, quod natura desiderat; ad supervacua sudatur. || *Incip. S pg. 219.* nichil *S.* 22 = *P 32.* Et *om. P. Cf.* 84. est *om. P.* onestissimus *P. pr. m.* h *rec. m. supra sc.* 23 = *P 33.* iter] inter *P*, enim *S. cf.* 20. 24 *om. P. cf. M 7. 63.* peniteat *S. Sententia mutila esse videtur. Cf.* 69. 25 = *M 64, π 13, om. P.* neq; uitia *S.* est *π*, *om. S*; est p. sui *M.* 26 = *P 35, M 65. Sen. epist. 97, 13 105, 8. Phaedr. v. 169 ed. Peip.* semper *P.* 26a *om. SM.* 27 = *P 34.* ut *P.* negotiis *P. corr. pr. m. ut videtur ex* negotio. 28 = *P 36.* senectutem i. auge *P.* iubenem *et* aduliscentia *S.* 29 = *P 37, M 66. Mart. Dum. 2, 6* cum initia inveneris, exitus cogitabis. cogitaberis *S et vetustissimi codices M*; continebit qui . . . cogitabit *M vulgo.* 30 = *P 38.* Fratres *S*; *sec. m. s. scr.* cum. amorum consorcia *P*, *idem* maneat, *sed tribus ultimis litteris sec. m. in rasura scriptis.* 31 = *P 39, M 67.* Beneficium acceptum *P.* oportit *S.* 32 = *P 41. Cf. 57*; Vibe *S bis.* uicturos *S.*

33. Honestius est cum iudicaveris amare, quam cum amaveris iudicare. 34. Maiorem fratrem suspiciendo demereberis, minorem docendo. 35. Nihil sit tam pretiosum, quod cum discordia tuorum retentum velis. 36. Dissensio ab alio incipiat, reconciliatio a te. 37. Inhonesta victoria est suos vincere. *38. Satis poenarum est potuisse puniri. 39. Inimicitias tarde suscipe, moderate exerce, fideliter depone. 40. Cum ignoscis, ita beneficium tuum tempera, ut non ignoscere videaris, sed absolvere, quia gravissimum poenae genus est contumeliosa venia. ‖ 41. Populo ne contra dixeris: [male rationem supputat] melius iniuriae quam beneficii meminit. 42. Imago animi sermo est; unde et illa Socratica vox: qualis vita, talis oratio. 43. Magna res est vocis et silentii temperamentum; in hoc tamen incumbe, ut libentius audias quam loquaris. 44. Qui aequo animo miscetur malis, malus est. 45. Neminem cito laudaveris, neminem cito vituperaveris. Semper te puta cum alterutrum facies, testimonium dicere. 46. Iustitia in pauperem emineat, continentia in divitem. 47. Vitium est omnia credere, vitium est nihil credere. *48. Multos differentes vitam fortuna decipit: 48^{a}. itaque omnis dies velut

---

33 = *P 40, M 48.* iudicaberis *et* amaberis *S.* 34 = *P 42* suspiciendo *scripsi:* suscipiendo *SP.* emereberis *P.* docendo *conieci:* cedendo *S*, castigando *P.* 35 = *P 43.* N. tam pr. duxeris *P.* quam cum *S*, quod *P omisso* cum. belis *S.* 36 = *P 44, M 49.* discensio *S.* 37 = *P 45, M 68.* 38 = *M 69.* 39 = *P 46, M 70, 71.* inimicitias *M*, inimicitiam *P*, inimiticiam *S.* et exerce *S.* pone *P.* 40 = *P 47.* ignuscis *et* ignusceris *S.* gravissimus paenae genus *S.* est *om. S.* ‖ *Incip. S pg. 220.* 41 = *P 48.* Cum populo *SP: sed praepositio aut ex initio s.* 40 *repetita, aut, cum in codice archetypo binis columnis scripto s.* 30 *omissa, mox iuxta sinistram columnam posita esset, male ad dextram relata est. An scrib.* coram? male enim r. *P.* supputati *S*, putat *P*, supputanti *Bonnet.* malius *P.* iniuriam equam (*i. e.* iniuriam quam) officii *S. cf.* 170. 42 = *P 49, M 72. 73. Sen. epist. 20, 2. 75, 4. 114, 1; cf. quos laudavi locos ad M.* animo inde est et *S*, animi sermo est unde *P.* sogratica *S.* talis bita q. oratio *S*, q. o. t. et vita *P.* 43 = *P 50, M 74. 9, π 118. 119.* est *M*, *om. SP.* 44 = *P 51, M 75.* quia ego *S.* miseretur *P*, immiscetur *M.* 45 = *P 52, M 76, π 15.* laudaberis . . . vituberaberis *S*, accusaveris . . . vituperaberis (vitu *m. sec.*) *P*, laudaveris . . . accusaveris *M.* te puta *S*, te *P.* puta te *M* facis *P*; coram diis t. d. *omissis verbis* c. a. f. *M.* dare *P.* 46 = *P 54.* eminet *P.* in divitem *P*, divite *S.* 47 = *P 53, M 77. Sen. epist. 3, 4* utrumque vitium est et omnibus credere et nulli. 48 = *M 10, π 26. Sen. epist. 1, 3* dum differtur vita, transcurrit. deferentes vitia furtuna *S.* fort. dec.] mors incerta praevenit *M*, *ut efficeretur tetrameter trochaicus.* 48^{a} = *P 56, M 10 extr. π 27. Sen. epist. 12, 8* itaque sic ordinandus est dies omnis, tamquam cogat agmen. ordinandus *P π coll. Sen. dial. 10, 7, 9* omnes dies tamquam vitam ordinat; iudicandus *SM.*

ultimus ordinandus est. 49. Utendum est divitiis, non abutendum. 50. Voluptas periculosa vitanda est; nullum enim solidum gaudium est, quod metus subsequitur. 51. Succurre amicorum paupertati, immo potius occurre. 52. Sic vive, ut nec a superiore contemnaris, nec ab inferiore timearis. 53. Nullum putaveris locum esse sine deo teste. 54. De felicitate hominis ultimus dies iudicat. 55. Quidam inimici graves sunt, amici leves; at mehercules satius est odio deesse constantiam. 56. Excusationem vitiis suis quaerere est omnia ad deos redigere. 57. Tu vivis tamquam numquam moriturus, tu tamquam statim: uterque peccatis; tu enim de hodierno, tu de crastino nihil cogitas. Itaque vive tamquam victurus, et rursum vive tamquam moriturus. *58. Nulla re melius quam clementia peccatur. *59. Hodie ‖ crudelis es, cum cras misericors esse non possis. *60. Da vitam, quotiens dubitaveris an eripienda sit, quoniam data eripi potest, erepta non potest reddi. 61. Nullae tantae sunt nec vires nec opes, quas non discordia affligat atque distrahat. 62. Satius est fieri nobilem quam nasci. 63. Amicum secundae res optime parant, adversae certissime experiuntur. 64. Laboribus adsuescere contra fortunam exerceri est. 65. Fortior est, qui cupiditates quam qui hostes subicit. 65^{a}. Difficillimum [enim] opus est se vincere. 66. Cum de adulescentia fili cogitabis,

---

49 = *P 55, M 78.* uitiis *S.* 50 = *P 57* uoluntas *S pr. m.*, uitande *S*, quae *S*; sequiur *P. cf. infra sent. Solonis 19.* 51 = *P 58, M 50, π 102.* Sucurre *S.* paupertatem *P.* occurre *Sπ*, sucurre *P.* 52 = *P 59, M 78^{a}, Auson VII Sap. Chil. 1.* uibe *S.* superiori *P.* inferiora *S*, inferiori *P.* 53 = *P 60, M 79, π 16.* putaberis *S.* esse *om. M.* deo *S*, *om. PMπ.* testem *P pr. m.* 54 = *P 61* homenis *S.* 55 = *P 62, π 72.* grave *S*; graves sunt *bis scriptum in P.* lebes *S.* at *sq. desunt in Sπ*; ad *P.* deest hodio esse *P.* 56 = *P 63, M 80.* est *om. S.* adeos redigere *S*, deo delegare *PM.* 57 = *P 64, qui sententiam mutilam et corruptam habet hanc:* tu v. t. moriturus, tu moreris tamquam semper victurus. *Cf.* 32. *Sen. epist. 23, 10. Publil. Syr. 330. Ausonius VII Sap. Chil. 2. Aristot. apud Diog. Laert. 5, 20* τοὺς μὲν οὕτω φείδεσθαι ὡς ἀεὶ ζησομένους, τοὺς δὲ οὕτως ἀναλίσκειν ὡς αὐτίκα τεθνηξομένους. tu t. statim *Bonnet*, quam st. tutam *S.* de hodiernum *S.* 58 peccatur *scripsi:* peccator *S.* 59 ‖ *Incip. S pg. 221.* est *S.* misericors esse *scripsi:* miseresse *S*, miserescere *Bonnet.* 60 = *M 80^{a}.* quoniam] qm̄ *S* 61 = *P 65.* ne opes *S.* quas d. non a. *P.* adque *S*, ac *P corr.* hac *pr. m.* 62 = *P 66. Auson. VII Sap. Sol. 5.* Sautius *S*, sanctius *P*: *cf.* 103. *Cato 45.* 195. 196. 63 = *P 67, M 51, Auson. VII Sap. Pitt. 6. 7.* res sec. *P ut* 79. exponuntur *P*, probant *M.* 64 = *P 68.* furt *S.* 65 = *P 69, M 81, π 49. Cf. Cic. epist. 15, 4, 15. Val. Max. 4, 1, 2. Lact. instit. 1, 9. Proverb. Salom. 16, 32.* cupiditates *Sπ*, cupiditatem *PM.* hostes *Sπ*, hostem *M*, non estatem *P.* subicit *PMπ*, subiecit *S.* 65^{a} = *P 69^{a}, M 82.* enim *om. M.* est *om. P.* 66 = *P 70, Cato distich. 1, 16.* aduliscentia *S*, adolescentia *P.* cogitauis *S*, cogitaueris *P.*

de tua recogita: distinguere [enim] oportet hominis vitia et aetatis. 67. Prope est, ut inique irascatur, qui potest irasci suis sine dolore. 68. Filius irasci sibi patrem potius intellegat quam sciat: palam facta adversatio bonum filium suggillat, malum liberat, et plus ad emendationem proficit pudor cum timore mixtus. 69. Numquam pudeat te inimici sententiae accedere; saepe [enim] bonum consilium datur malo animo. 70. Amare sic incipe, tamquam tibi desinere non liceat. 71. Tempta non tantum, quod fieri debet, sed quod potest. 72. Bonarum magnarumque rerum etiamsi successus non adfuit, honestus ipse conatus est. *73. Nobilitas est generosus animus. *74. Non est tam honestum maioribus suis gloriari quam turpe minoribus obici. 75. Honestior est, qui senectutem ad otium rettulit quam quem in otio invenit. 76. Quae res in rebus agendis potest plurimum? occasio. 77. Tristitiam, si potes, ne admiseris; si non potes, ne ostenderis. 77[a]. Turpe [enim] spectaculum praebet aeger animus. 78. Tristis eris numquam, si tibi in omni incommodo dixeris: Homo sum. *79. Quomodo devitabo invidiam rerum secundarum? si felicitatem tuam paucis iactaueris, multis diviseris. *80. Quomodo potentiam optime tuebor? sine inpotentiam. 81. Amicum secreto admone, palam lauda. *82. Nihil aeque odia gratuita colligit quam ubique apparere; conversatio

---

recogitas S. enim om. S. h. uita opportet uita P; opus est S, corruptum fort. ex s. 65. Cf. 5. 31. 96. 101. aetates P. 67 = P 71, M 83. irascitur S. Cf. Sen. clem. 1, 14, 3 ,prope est ut inique puniat, qui nimis'. 68 = P 72. sibi. om. S. sciat] sentiat? emundationem P, inmendatione S. p. cum timore m. scripsi: p. timori cummixtus S, timori timor mixtus P. Cf. Sen. epist. 47, 18 amor cum timore misceri potest. 69 = P 73. te pudeat P. inimici om. P. enim om. S. 70 = P 74, M 84. incipit S. 71 = P 75. Temta S. que bis S; debebit et poterit S. 72 = P 76, M 85. successus si pro se S. adfuit P, fuit S, adfuerit M. 73 = M 86. 87. 74. estam S. || Incip. S pg. 222 75 = P 77, M 88. honestior M, honestius SP. rettullit S, retullit P. quem scripsi: qui SPM. in otium P. 76 = P 78. in a. rebus P. 77 = P 79, M 11, π 121. Tristiam S. si potes SMπ, si poteris P. ne] non P. amiseris SP. si non potes Bonnet: si potes S, si minus M, si minus certe P. Cf. 107. 129. 77[a] = P 79[a], M 89, π 122. enim P, om. SM. 78 = P 80, M 90. 91. si totiens tibi S. 79 = M 91. 92. Sen. epist. 105, 3 sic invidiam effugies, si bona tua non iactaueris. devitabo S, in quo sententia bis scripta est, infra ante s. 95, item M, uitabo S hoc loco. iactaberis S utroque loco. dives eris M. 80 = M 93. Cf. Sen. de remed. fort. 10, 2. 81 = P 81 et iterum 193 (= 172[a]), M 12, π 103. Auson. VII Sap. Sol. 4. amicum P infra 172[a]: amicus S pr. m. amicos S corr. PMπ. secretum, ortum ex syllaba um verbo amicos superscripta P hoc loco. ammone SP, amone P infra. 82 De odio gratuito cf. Sen. epist. 105, 3. ea quae hodio gratulita collegit S.

offendit oculos. Prope est, ut sit invisus, qui nimis notus est. 83. Convictum potius quam convivium sequere. *84. Aeris alieni et iucundissimum et gravissimum esse scito beneficium; huic numquam tabulae novae fiunt. 85. Gratus est non tantum qui beneficium libenter reddit, sed qui libenter debet. 86. Verba rebus, non personis aestimanda sunt. 87. Malus iudex veritatis est, cuius sententiam non res, sed auctoritas ducit. 88. Perniciosiora sunt odia tecta quam aperta; *88[a] itaque minus te inimicus loquax quam tacitus laedit: 88[b] huius [enim] ira se nudat, ille occasioni locum captat. *89. Multum interest inter animum magnum et sumptuosum. *90. Numquam distinxeris quod oportet || ab eo quod expedit; nihil enim, quod non oportet, expedit. 91. Arma nisi ut summoveas ne sumseris; excusata est enim et diis et hominibus necessitas, cuius omnis invidia inputatur auctori. *92. Quo quid acrius vindicandum erit, cum audieris, hoc tardius credito. 93. Proximum ab innocentia locum tenet peccati verecunda confessio. *94. Boni iudicis est non tantum, quid damnandum sit excussare, sed quatenus; quia pars est iustitiae severitatis modus. *95. Cum de capite agitur cuiuscumque hominis, omnis iocus et omnis hilaritas removenda est: nam in periculo, si nihil aliud, certe superba securitas est. *96. Molestiora sunt odia, quae vulgo gratuita dicuntur, quam quae ex aliqua offensa concepta: natura enim insequimur magis eos odio, quos non decet quam quos oportet. 97. Quietissimam vitam mortales agerent, si haec duo verba de rerum natura tollerentur, meum et tuum. 98. Quid vero nos ridemus, quid inquie-

---

83 = P 82. condictum S. 84 iucondissimum S. esse] est S. 85 = P 83. Sen. benef. 2, 30, 2. 35, 1. 5. qui non t. S; cf. 94. debet S sec. m. deuit S pr. m. accipit P. 86 = P 84, M 13, π 140. non personis om. P. estimanda S, exestimanda P, accipienda π. 87 = P 85. fidus iudex S; an infidus? sententia SP. autoritas S. 88 = P 86, M 52, π 50. pernitiosiora SP, peiora Mπ. hodia SP. 88[a] = M 52, π 51. laedit] offendit Mπ; an laedet? 88[b] = P 86[a], M 52. enim SM, om. P. illius occausioni S. loc. c. om. P. 89. interest inter Bonnet coll. 20. 23: est enim S. animus S. 90. quae oportit S; cf. 9. 11. 71. || Incip. S pg. 223. quae expedit et quae non oportit idem. 91 = P 87. ut om. P. summobeas S. ne sum feris P. auctori om. P. 92 quo quid scripsi: quid S. agrius S. 93 = P 88, M 94, π 52. ab] ad S; cf. Sen. clem. 1, 15, 7 proximum erat ab innocentia. locum tenet] ostei P. 94 = M 97. 96. quidamnandus S. excusare S, dispensare M. motus S. Sequuntur in S sent. 100 et 79, de quibus cf. ad 79 et 100. 95 hominis in S versu inseq. post certe scriptum est. locus S. helaritas S. aliut S. superua S. 96. gratuita S sec. m. cf. 82, grauita S pr. m. naturam S. eos Bonnet; ut eos S. odias S. oportit S. 97 = P 89, M 98, π 73. mortale P. dua P. de r. nat. om. Pπ. 98 = P 90. Quid vero nos ridemus dubitanter scripsi: qui vero nos deridemus S, quid nos dedimus P. quid inq. om. S. Nihil P. enim P, om. S. es P, est S. Cf. 118.

tamur? Nil enim meum est neque tuum; ipse [enim] alienus es. *99. Fato te regi crede; omnia fortius feres. Scies enim, quidquid patieris non iniuriam esse, sed legem. *100. Qui paupertatem timet, | di boni, quam timidus est. 101. Amorem nec ignotum esse oportet animo nec insitum. *102. Neglegi malo quam in honorem fortunae coli. 103. Satius est severum animum habere quam vultum. 104. Servos puta, quos inperantes multis milibus videris, si cupiditatibus servient. 105. Optima dos est uxoris. pudicitia. *106. Vires tuas potius amici beneficiis quam inimici iniuriis sentiant. 107. Pecunia si uti scias, ancilla est; si uti nescias, domina. 108. Inopia amicorum in urbe media solitudo est. 109. Sic vive, ut memineris te, quo primum die natus es, capitis esse damnatum. *110. Tanto melius est non concupiscere quam frui, quanto tutior est freto portus. 111. Pecunia non satiat avaritiam, sed inritat.

*SENTENTIAE CLEOBULI. 12. Auribus frequentius quam lingua utere. 13. Nihil arbitrio virium feceris. 14. Sic cum uxore vive, ut extra domum nec an ames notum sit nec an litiges. 15. Uxorem parem ducito. 16. Ne abiciat te calamitas, ne felicitas ecferat. *16ª. Disce fortunam ferre. 17. Ne minorem curam egeris animi quam*

---

99. fateor te rege *S.* ferens *S.* petieris *S.* 100 = *M 99, π 74, et iterum scripta sent. est in S post 94. Lactant. instit. 6, 17.* || *Incip. S pg. 224.* dii *S priore loco.* conquam *S hoc loco,* quam *idem supra.* timidus *S bis, Mπ,* timendus *O. Ribbeck.* 101 = *P 91.* Amorem *P initio novi versus.* oportit animo *S*, animum opportet *P.* incitum *S.* 102. Nec legitima loquar *S; emend. Bonnet.* 103 = *P 92. Mart. Dum. form. hon vit. 4, 16* Severior esto iudicio . . . quam vultu. esse verum *S.* 104 = *P 93.* militibus *S.* servierunt *P.* 105 = *P 94. Auson. Bias 4. Pythagoras ap. Iustin. 20, 12* vera ornamenta matronarum pudicitiam, non vestes esse. *Hor. Carm. 3, 24, 21. Sen. dial. 12. 16, 4. de matrimon. frg. 78. 79* 106 = *M 100, π 141.* amicis *et* inimicis *S;* potius quam *om. π.* 107 = *P 95, π 47.* pecuniam *P.* si ut *S*, sicuti *P. Cf. Sen dial. 10, 2, 1.* 108 = *P 96.* inoppia *S.* 109 = *P 97. Sen. epist. 71, 15. 91, 12.* primo *P* diem *S.* capite *P.* 110 *om. P.* 111 = *P 98, M 101, π 48.* avarum *codd. quidam π.* inridat *S*, inrigat *P.*

S. CLEOBOLI *P; om. S* 12 = *P 99, M 104. Stob. flor. 36, 19.* frequent̄ *P*, frequenter *p, de quo cod. cf. supra pg. 17.* lingue *P.* 13 = *P 100, Catonis dist. prol. 48* nihil arbitrio virium feceris, *Stob. flor. 3, 79 Cleob. βίᾳ μηδὲν πράττειν.* arbitrio *Sp*, arbitrium *P; an* arbitrii? virium *Cato*, verum *S*, virium tuarum *P*, viriarum tuarum *p.* 14 = *P 101.* ut nec extra *Pp. In P post* litiges *additur* obtimum enim est mala domestica occultare, *in p* optamus enim m. d. o. *Cf. infra 25* 15 = *P 102. Stob. l. l. Cleob. γαμεῖν ἐκ τῶν ὁμοίων. Auson. Sol. 2.* dicito *P.* 16 = *P 103. Stob. l. l. Cleob. εὐποροῦντα μὴ ὑπερήφανον εἶναι, ἀποροῦντα μὴ ταπεινοῦσθαι. Cf. supra ad* 16. nec . . . nec *Pp.* felicita hec ferat *S.* efferat *P.* 17 = *P 104. Stob. l. l.*

corporis. (18) Parentes verere, deum time. [Nec hoc quidem velim, quia deorum iniuria est timeri. si vis illos et suspici ut debent et intellegi, venerabiles esse, non terribiles oportet.] SENTENTIAE SOLONIS. (19) Vitare voluptatem, quam dolor subsecuturus est. (20) Minime iudicare, nihil mentiri, parentes patientia vincere. (21) Consilium ad utilitatem deliberantis dirige, non ad voluptatem. (22) Pati legem, quam alteri tuleris. (23) Noli enuntiare secreta [certe nec dubia]. (24) Nec sua invidia torqueri nec aliena optare [quae possunt evenire]. (25) Mala domestica occultare. (26) Quod aliquando es daturus, statim da. SENTENTIAE PITTACI MITYLENENSIS. (27) Fidem servare. (28) Iniuriam pati. (29) Minorem regere. (30) Fortunae nihil credere. (31) Maiorem suspicere. (32) Tempori parce. (33) Quod facturus es, ne dixeris. SENTENTIAE BIANTIS PRIENEI. 34. Adulescentiam verecundia conmenda, senectutem prudentia. 35. Rebus bene gestis gloriam para, officiis amicos, beneficiis clientes [vita famam, labore sapientiam, pecunia liberalitatem, | silentio pudorem]. 36. Numquam plus intellegeris quam audieris. 37. Neminem vituperaveris. 38. Nullius mortem luctumve riseris. (39) [Religiosis crede de numine.] SENTENTIAE PERIANDRI. (40) Maxi-

---

Cleob. εὖ τὸ σῶμα ἔχειν καὶ τὴν ψυχήν. Ne *S*, non *Pp.* agas *Pp.* anime *Pp.* 18 = *P 105. Sosiades ap. Stob. 3, 80 Cleob. θεοὺς σέβου, γονεῖς αἰδοῦ. Monita aurea Pythag. princ. Isocr. ad Demon. 1 sq. Catonis dist. prol. 1. 2.* deum] *an* deos? uellim *P pr. m.* uelles *p.* qui ad eorum *P.* suscipi *Pp.* debeant *P pr. m.* opportet *P.* S. SALONI *P; om. S.* 19 = *P 106. Stob. l. l. Sol. ἡδονὴν φεῦγε ἥτις λύπην τίκτει.* nitam *P, sed* m *erasum,* uita *p.* subsequiturus *P pr. m. et p.* 20 = *P 107. Stob. Sol. κριτὴς μὴ κάθησο. μὴ ψεύδου. τῶν γονέων μὴ λέγε δικαιότερα.* indica *et* mentire *p;* par p. v. *om. p.* 21 = *P 108. Stob. Sol. συμβούλευε μὴ τὰ ἥδιστα, ἀλλὰ τὰ βέλτιστα τοῖς πολίταις.* dirige] *fort.* dirigere. voluntatem *Pp, sed* uolun *in P in rasura.* 22 = *P 109. Auson. Pittac. 5.* patere *p.* 23 = *P 110. Cf. 25.* 24 = *P 111.* sua *scripsi:* tua *Pp.* torqueris *P littera* a *syllabae* er *superscripta,* torquearis *p.* operta *p.* 25 = *P 112. Stob. Pittaco tribuit κακὰ ἐν οἴκῳ κρύπτε. Cf. supra 13.* 26 = *P 113. Stob. 3, 80 ὃ μέλλεις, δός.* S. PITACULI MITILINENSIS *P; om. S.* 27 = *P 114.* 28 = *P 115.* 29 = *P 116.* 30 = *P 117.* nichil *P.* 31 = *P 118.* suscipere *Pp.* 32 = *P 119. Orelli opusc. mor. I, 150 Chilonis: Χρόνου φείδου. Sen. epist. 88, 39. 94, 28. Sosiad. ap. Stob. 3, 80.* 33 = *P 120. Stob. Thal. ὃ μέλλεις ποιεῖν, μὴ λέγε.* es *P sec. m. in rasura.* S. ASPRENI *P; om. S.* 34 = *P 121. Sen. epist. 11, 1* ,verecundia bonum in adulescente signum'. aduliscentiam *S*, adolescentiam *P.* verecundiam *S.* comenda *P*, conmendat *S.* prudentia *P*, prudenciae *p*, sapientia *S.* || *Incip. S pg. 225.* 35 = *P 122.* bene *om. S.* para *P*, parat *S*, conpara *p: an* paras? officiis *etc. om. P.* laborem *et* silentium *S.* 36 = *P 123.* intellexeris *P.* 37 = *P 124. Sosiad. ap. Stob. flor. 3, 80 ψέγε μηδένα.* niminem niduberaberis *S.* 38 = *P 125.* derideres *P*, desideres *p.* 39 = *P 126.* numine *p*, nomine *P.* S. PRIANDRI *P, om. S.* 40 = *P 127.*

mas voluptates mortalibus divinos esse honores. (*41*) *Promissa praestare, commissa non eloqui.* (*42*) *Puerum parere, tironem abstinere, senem sine tristitia mori. SENTENTIAE CATONIS. 43. Inter iratum et insanum nihil nisi dies interest: alter* [*enim*] *semper insanit, alter dum irascitur. 44. Quod non opus est, asse carum est. 45. Satius est heredi largius superesse quam tibi parum esse. 46. Si quid tibi deesse videtur, tute abs te mutuum sumito. 47. Facillime bona existimatione uteris, si ea vitaveris quae vituperaveris. 48. Cum alios, tum te maxime verere: nam sine aliis saepe, sine te numquam esse possis. 49. Si bene te institueris, pudebit te deteriorem fieri. 50. Quod persuaseris diuturnum est, quod coegeris in occasione. 51. Alteri saepe ignoscito, tibi numquam. 52. Invidiae cede; iniuriae obvia. 53. Somno pro servo, non pro domino utere. 54 Diu deliberato, cito facito. 55. Pretium maximum est bonum esse.*

112. Vita hominis brevis est, itaque inmortalitas est mors honesta. *113. Nemo nisi qui vult vivit, cum mori liceat. (114) Tantum ad virtutem adicies, quantum

---

41 = P 128. *42 = P 129* senem parcere s. *P.* S CATONIS *om. S.* *43 = P 130, M 106. Plut. Cat. mai. apophth. 16 τὸν ὀργιζόμενον ἐνόμιζε τοῦ μαινομένου χρόνῳ διαφέρειν. Sen. de ira 1, 1, 2. epist. 83, 18. Ammian. Marc. 15, 12, 4.* Inter *om. S.* iram *et* nichil *P.* nisi unus dies *M.* interest *M*, + est *S*, distat *P.* enim *om. S.* alter dum incipit *S;* alter insanire interdum incipit *coni. Bonnet.* *44 = P 131. Sen. epist. 94, 27* sicut illa Catoniana . . . Quod non opus est, asse carum est. est opus *P.* adse *SP.* *45 = P 132.* est *P*, *om. S.* heridi *S.* largiter *P.* superest que *S.* tibi *scripsi:* illi *S*, ipsi *P.* esse *P*, deesse *S*, *ortum ex versu seq.* *46 = P 133. Sen. benef. 5, 7, 5* M. Cato ait: quod tibi deerit, a te ipso mutuare. *Epist. 119, 2* Catonianum: a te mutuum sumes. tute *om. P;* a te *idem.* mutum *S.* *47 = P 134, M 107.* bonam existimacionem mereberis *P*, bonis frueris *M.* uitaberis quae uituberaberis *S.* *48 = P 143, M 108, Plut. apophth. Cat. mai. 9 μάλιστα ἐνόμιζε δεῖν ἕκαστον αὐτὸν αἰδεῖσθαι· μηδένα γὰρ ἑαυτοῦ μηδέποτε χωρὶς εἶναι, Stob. flor. 31, 11. Pythag. vers. aur. πάντων δὲ μάλιστ' αἰσχύνεο σαυτόν.* tum te *scripsi:* timueris te *S*, tu *P*, timueris tum te ipsum *M.* *Cf. 18.* nam *SM*, *om. P.* esse *P*, *om. S.* potes *PM.* *49 = P 135, M 109.* pudebite det. *S.* *50 = P 136, M 110.* quod] quae *S.* erit *M.* quae quo egeris in occansionem *S.* in o. est *P.* *51 = P 137, M 111, Plut. vit. Cat. mai. 8 συγγνώμην ἔφη διδόναι πᾶσι τοῖς ἁμαρτάνουσι πλὴν αὑτοῦ, Auson. Cleob. 4* Ignoscas aliis multa, nihil tibi. ignuscito *S*, ignosce *P.* saepe] *an* semper? *52 = P 138. 139.* iniuria (iniuriam *sec. m.*) obviam ito *P.* *53 = P 140.* per suo *S.* *54 = P 141.* liberato *P.* *55 = P 142.* Virtus maxima est *Pp*, *fortasse rectius.* bonos nosse *idem.*

112 = *P 144 praemissis:* SENTENTIA (*leg.* sententiae) CATONIS ALTERI., *π 142.* hominis *cod. Frising. π*, homnis *S*, omnis *P.* itaque] ideo *π.* est *Pπ*, *om. S.* 113. liciat *S.* 114 = *P 145, M 112. Demonax ap. Anton. et Maxim. περὶ βίου καὶ ἀρετῆς καὶ κακίας: Τοσοῦτον εἰς ἀρετὴν προσθήσεις, ὅσον ἂν ὑφέλῃς τῶν ἡδονῶν.* voluntate *P*, abstraxeris *M; cf. Sen. epist.*

ex voluptate detraxeris. 115. Cogita te non edendi causa vivere, sed esse vivendi. *116. Stultum est somno delectari, morte terreri, cum somnus cottidiana sit mortis imitatio. 117. Bonis nocet, qui malis parcit. 118. Aliena ne concupieris; nam et tua [alteri] aliena sunt. (119) Omnis iustitiae locus tutus est, nullus iniuriae. *120. Cottidie evenit dies, raro occasio. *121. Longa aetas est non || diu vivere, sed scire ad rem non pertinere, quamdiu vivas. *122. Quid mortem times, quid senectutem? Cottidie senescis, cottidie moreris. *123. Cum onus esse cogitaveris senectutem, cogita votum fuisse. 124. Tarditas grave vitium est, temeritas multo gravius. *125. Praesentia mala levat praeteritorum bonorum recordatio. 126. Nil carum est, nisi ad vitam necessarium; cetera non natura, sed opinione cara sunt. 127. Animum tamquam ducem cura, corpus tamquam militem exerce. 128. Oratorem te puta, si tibi ante omnes, quod oportet, persuaseris. *129. Si fatum est, quid times, quod certum est? si fatum non est, quid times, quod incertum est? 130. Testamentum curiose scribe velut ultimum ingenii monumentum. 131. Multi, dum aliis male dicunt, sibi convitium faciunt. 131[a]. Nihil [autem] turpius, quam quod obicitur, in obiciente cognosci. (132) Mundum

---

21, 8 non honoribus adiciendum, sed cupiditatibus detrahendum. 115 = *P 146. Quintil. 9, 3, 85. Caecil. Balb. Mon. I, 11. pg. 18.* cogitante *P*, *pr. m.* cogitat tecum non *S.* aedenti *P.* 116 = *M 113. Cic. Tuscul. 1, 92, Ovid. amor. 2, 9, 41, Secundi gnom. 13.* et mortem horrere *M.* cottidiana] adsidua *M.* 117 = *P 147, M 114, Auson. VII Sap. 3, 5, Pythag. ap. Stob. flor. 46, 112.* parcit *M*, parcet *S*, placet *P. Cf. Sal. Cat. 52, 12* ne, dum paucis sceleratis parcunt, bonos omnis perditum eant *Post hanc sententiam legitur in P (148):* Tempori parce; nullis (*leg.* nullius) enim rei tanta inopia quam laboramus temporis, *de quo cf. 32 et* 151. 118 = *P 149, Cleobul. ap. Orell. opusc. moral. 1, 150 ἀλλοτρίων μὴ ἐπιθύμει.* altero *S*, *om. P. Cf. 89.* 119 = *P 150* nullis *P pr. m. 121. Incip. S pg. 226.* diuiuere *S.* ad rem *scripsi:* odiem *S. Cf. Sen. epist. 19, 8. 12. remed. fort. 2, 9* non ubi, sed qualiter moriaris, ad rem pertinet. 124 = *P 151.* multo *om. S.* 126 = *P 152* Nichil *P.* nisi *om. P.* sed constitutione pretiosa *S*, *substant. non minus Annaeano, adiect. interpolato. Cf. Sen. epist. 95, 59. 66, 6. 81, 28. 94, 73 Mart. Dum. form. hon. v. 2, 1* dignitatem rebus non ex opinione multorum, sed ex earum natura constituas. 127 = *P 153.* 128 = *P 154, M 14, π 28.* honoraciorem *P*, *sed* raciorem *sec. m. corr.* pota *S.* tibi ipsi *π.* ante omnes *om. π*, *ante* persuaseris *P.* oportet *M*, oportit *S*, opus est *P*, *haud scio an rectius.* 129 = *M 114[a], Aus. VII Sap. 5. 6. 7.* fatum] certa sors *Auson.* factum *S bis et plerique codd. M.* qui inc. *S.* 130 = *P 155.* studiose *P.* scriue *S.* ult. memoriae monimentum *P.* 131 = *P 156, M 115. 116. π 53. 54. Philemon ap. Stob. flor. 19, 2.* multitudo *S*, multi cum *M*, plerique cum *π.* aliis *SM*, malis *P*, stultis *π.* siui *S*, sibi ipsi *M*, ipsi sibi *π.* 131[a]. *Cato dist. 1, 30.* autem est t. *P;* enim t. *π.* quam quod *PM*, qui *S.* abicitur *P.* in obiciente cognosci *Mπ*, nisi in cognitione *S*, in obicientem agnoscere *P.* 132 = *P 157.*

deorum templum puta, et tamquam in religioso loco modestius vive. 133. Ut licentiosa mancipia acri imperio coerce linguam ventrem libidinem. 134. Amoris remedium est mutatio; sed observa, ne fiat ipsum remedium morbus. 135. Cupiditatem si obprimere non potes, paululum remitte. 136. Saepe quae ratione non poterant, sanata sunt tempore. 137. Quod tacitum voles, nemini dixeris: a quo enim silentium exigis, quod tibi ipse non praestitisti. 138. Liberalis disciplinas || cole non tamquam virtutes, sed tamquam instrumenta virtutum. 139. Qui propter amorem pecuniae [ignominia] moritur, ostendit se numquam sui causa vixisse. 140. Amicitiae deponendae sunt velut inbecilla et tenera vasa, paulatim et molliter, ne in deponendo frangantur. (140ª) [Stultum est enim, ut quem omni officio amicum facere non potueris, inimicum sortiaris.] *141. Quomodo displicentes amicos habere desinemus? si moderati erimus, ut non intellegant, quando amici esse desierint. *142. Exilium sapiens feret ut incommodam migrationem. 143. Quam insane amaretur virtus, si videretur! 144. Ad sapientiam pervenisse te scito, si quae contemnebas miraberis, quae mirabaris contempseris. 145. Etiamsi criminatio te delectaverit, criminator offendat. *146. Dignus tibi videre, coram quo te peccare pudeat. 147. Optimum condimentum cibi labor. [Mittas licet cocos et mille mixturas; optimum cibum fames condit.] 148. Perpetua quies ipsa se lassat. 149. [Somno pro servo, non pro domino utere.] Turpe est [enim] orientem

133 = *P 158, M 15. 117.* ut nocenti manc. *P.* acri] animi *M.* ingenio *P.* conpescere *P*, rege *vel* redige *M 117 his additis* ‚quae opprimere si non potes, paululum remitte'. *Cf.* 135. 134 = *P 159.* amaris *P.* obsunt uane *S*, obseruacione *P.* morbum *S*, morbos *P.* 135 = *P 160, M 117, de quo cf. ad 133.* cupititatem si obpraemere *S.* potueris *P.* paulolum *S.* 136 = *P 161, M 118.* qui raxne *S.* sancta *P.* tempora *S*, tempr *P.* 137 = *P 162, M 16, π 75. 76.* uoles *S*, uis esse *Pπ*, uelis esse *M.* neminem *S.* exigis *SP*, speras *M*, poteris exigere *π: an* exiges? quod *P*, qui *S*, si *Pπ.* ipsi *SM.* prestetisti *S*, prestiteris *P.* 138 = *P 163.* | *Incip. S pg. 227.* tamquam] utique *P*, virtutem *P*, strumta *idem.* 139 = *P 164.* propter] pro *S.* ignominia *om. P; fort.* in ign. *Ante* ostendit *quattuor litterarum lacuna esse in S videtur; fort.* satis ost. *coll. 177.* sua *S.* 140 = *P 165.* am. sic dep. *P*, uelud *SP.* inbecelle *S*, infirma *P.* in ponendum *S; cf.* 39. 140ª = *P 166.* 141. quomodo *Bonnet;* quam *S; cf.* 79. 80. 142. incommodum *S.* 143 = *P 167.* 144 = *P 168.* a sapientiam *P.* quae contemseras miraueris *S.* mirabaris] miraberis *P*, miraueris *S.* contemseris *S.* 145 = *P 169.* crimina te delectauerint *P.* 146 = *M 119ª.* tibi sit (*leg.* sis) *M.* puteat *S.* 147 = *P 170. Cic. fin. 2, 28, 90* Socratem audio dicentem cibi condimentum esse famem, potionis sitim. c. est cybi *S.* mittas etc. *om S.* 148 = *P 171.* 149 = *P 172. Quae uncis inclusa sunt, leguntur in solo P.* oriente sole raro videri *P.*

solem raro videre. 150. Qui regibus convivunt, similes sunt per excelsa et praerupta repentibus; semper tremunt, saepe titubant, subito ruunt. 151. Nullius rei tanta inopia quanta temporis laboramus. 152. Decentissimus feminae ornatus est, quem maritus probat. *153. Adulescens si feminis ornaris, iniuriam facere cogitas, si viris, accipere. 154. Non est quod insolenter utaris felicitate, nisi fatearis insperatam fuisse. *155. Turpia ne dixeris; paulatim rerum pudor || per verba dediscitur. 156. Sic habita, ut potius dominus laudetur quam domus. 157. Qui somnia sollicite narrant, vigilantes quoque somniant. 158. Mors vitae finis est, memoriae initium. 159. Somnus quies tibi sit, non voluptas. 160. Cum voles de animo cuiusquam habere quaestionem, haec amove tormenta: metum, pecuniam, gloriam, voluptatem. 161. Qui beneficium accipit, reddere studeat, ut exoneret se, non liberet. 162. Cito servitus fit inmodica libertas. 163. Munera non tam magna quam tempestiva delectant. *164. Non tantum riseris: etiam iocis enim verecundia. 165. Numquam in his magnam gloriam posueris, ex quibus maximam partem fortuna sibi vindicat. 166. Consuetudinaria res est innocentia: invita ab eo recedit, cum quo diu fuit.. 167 Tarde virtutes exprimuntur, vitiorum velox imitatio est. 168. Non damnatio, sed causa turpem facit: merito enim damnatio poena est, inmerito calamitas. *169. Sit aliquis bonus an videri velit, conversantibus cito apparebit; numquam enim bonitatis longa simulatio est. (170) Multi beneficiis ob-

150 = *P 173.* convivant *S*, conveniunt atque conversantur *P; cf Sen. epist. 104, 20.21.* excella *S.* trement *S*, timent *P.* saepe] semper *S.* 151 = *P 174.* inoppia *S.* 152 = *P 175.* 153 = *M 119ᵇ.* or . . . |ris *S*, adornaveris *M.* accip. . . *S.* 154 = *P 176* (Felicitatem ne fatearis speratam fuisse), *M 119ᶜ.* nitaris felicitatem *S; correxit Bonnet.* 155 = *M 120.* p. enim p. rerum *M.* || *Incip. S p. 228.* per uerba] puer *S.* 156 = *P 177, M 121. Cf. Cic. offic. 1, 139. Mart. Dum. form. h. v. 4, 5.* spectetur *P.* 157 = *P 178.* Qui a somna solet enarrare vigilans quoque somniat *P. Cf. Sen. epist. 53, 8* somnium narrare vigilantis est. 158 = *P 179.* mem. in *om P.* 159 = *P 180.* 160 = *P 182.* animos *P.* cuiusque *SP.* turmenta *S.* voluntatem *P.* 161 = *P 183.* ut exhose non libere *P.* 162 = *P 184.* fit serv. *P.* in modico *P*, modica *S.* 163 = *P 185.* 164. non] ne? iocis] in iocis? enim] est? 165 = *P 186.* his] iis? in quibus *P.* furtune siui *S.* 166 = *P. 187, M 122.* Consuitudinaria est *S.* inuitabilia ab *P.* ad eo *S.* cedit *P;* fuerit *idem.* 167 = *P 188.* 168 = *P 189, M 123. 124.* Non damnacio *P reliquis omissis.* causam *S.* pena es *idem.* 169 = *M 125. 126. Sexti sent. 314, Demophili sent. 23. Post* est *S:* Explicit feliciter. *Cf. pg. 14.* 170 = *P 190, M 128, π 84. Sen. benef. 1, 1, 8* ita a natura comparatum est, ut altius iniuriae quam merita descendant et illa cito defluant, has tenax memoria custodiat. *Prov. Catonis 30* Labitur ex animo benefactum, iniuria durat. beneficiis et iniuriis *fortasse ex glossemate orta sunt* benefitia-

ligandi sunt, pauci iniuriis offendendi: nam memoria beneficiorum fragilis est, iniuriae tenax. (171) Obiurgationibus blandi aliquid semper admisce; facilius enim et altius penetrant, quae molli via veniunt. (172) Insectatio ipsa moderata sit: nemo enim se mutat, qui [mutari se] desperavit. (172ª) [Amicum secreto admone, palam lauda.] (173) Quotiens scribis aliquid editurus, scito te morum tuorum populo chirographum dare. (174) Vitandi sunt tales, qui aliis risum, aliis lacrimas movent. (175) Qui nescit tacere, nescit loqui. (176) Non quicquid inprobi audire meruerint, id debent probi dicere. (177) Qui in servo crudelis est, satis ostendit adversus alium potestatem sibi deesse, non voluntatem. (178) In morbo testamentum scribere quid est aliud quam in tempestate armenta conponere? (179) Vota palam suscipienda sunt: quanta est enim dementia deo dicere, quod hominem audire nolis. (180) Non est in adulescentia corpus seniliter nutriendum, ne remedio adverso valetudini usi in malis conteramur. (181) De vita ut de convivio optimum est nec sitientem exire nec ebrium. (182) Nulla pusilla est domus, quae multos capit amicos: nam ut illam fortuna angustavit, ita amicitia ampliavit. (183) Uxor si spectare vult, permitte; si spectari, veta. (184) Maximum indicium constantis animi est semper, quo vultu exieris, eodem reverti. (185) Facilius est pauperi effugere contemptum quam diviti invidiam. (186) Scire uti felicitate

---

rum P, iniuriarum Mπ. 171 = P 191, M 129, π 30. obiurgationi Mπ, quod praestat. blandia quid P, blanditiae aliquid π. facilius M, familiarius P; cf. Sen. epist. 38, 1 facilius intrant verba. 172 = P 192, M 129 extr. mutari se M, om. P; fort. de se desperavit. 172ª = P 193. Cf. 81. 173 = P 194. M 130. quoties P. ed. es M, falso, nisi forte quod post aliquid inserendum putas. cyrographum P; cf. Sen. benef. 2, 23, 2. 174 = P 195. risu P. movent suppleri coll. Sen. epist. 29, 7 moveat ille mihi risum, ego illi lacrimas movebo, om. P. 175 = P 196, M 132, π 120. Ausonius VII Sap. Pittaci 2 Loqui ignorabit qui tacere nesciet. 176 = P 197, M 132ª. meruerint id M; meruerint P, sed uerint sec. m. in rasura. 177 = P 198, M 131, π 77. in servos M et P pr. m. sed littera ſ erasa, servis π. alios Mπ. 178 = P 199. morbo || erasis duabus litteris P. scribe P. tempestatem P. 179 = P 200. Cf. Sen. epist. 10, 5. nolis] noles P. 180 = P 201. adolescentia P. remedia adversa P. usi Iwan Müller: uis P. 181 = P 202. Cf. Horat. sat. 1, 1, 119: Exacto contentus tempore vita Cedat uti conviva satur. Demophili sent. 13 τὸν πεπαιδευμένον ὥσπερ ἐκ συμποσίου ἐκ τοῦ βίου εὐσχημονοῦντα δεῖ ἀναλύειν. ut de convivio scripsi: et de convivium P. obtimum P. 182 = P 203; M 135, π 17 priorem tantum s. partem habent. anguste amicitia P. 183 = P 204. Ovid. art. am. 1, 99. expectare et expectari P. 184 = P 205. 185 = P 206, M 136. contentum P. 186 = P 207, M 137. felicitatem P.

felicitas maxima est. (187) Arcum intentio frangit, animum remissio. (188) Male erit tibi, cum decesseris, si male fuit antequam nascereris.

[SENTENTIAE RUFI]

(189) Ut moriamur, omnes nascimur: sane mors hominum finis est; forti levis, servienti optata, optabilis inmatura. (190) Nulli pro magno bono natura data est. (191) Tanti fuit, ut reges morerentur etiam Brutum mori. (192) Obstare alicui potest fortuna quominus liberior sit, nulli quominus liber. (193) Non qui servire non potest, fortis est — id enim deterrima mancipia possunt — sed qui servire ceteros prohibet. (194) Boni civis est non rem publicam sibi natam putare, sed se rei publicae. (195) Iacere satius est quam stare, si tibi cadendum scias, quia gravissima pars supplicii expectatio est. (196) Satius est liberis quam libertati superstitem esse. (197) Qui sibi persuasit aequo animo pati quicquid evenerit, fortunae regnum extorsit. (198) Regnantibus multo peius est quam servientibus: hi enim singulos timent, illi universos. (199) Certius est benivolentia summi imperii munimentum quam metus: nemo enim timeri potest sine suo timore. (200) Parentum turpitudinem liberi sic dissimulent, ut non ferre videantur, sed ignorare. (201) Tam dolori indulgere turpe est quam voluptati. (202) Morte suorum affligi inbecilli animi est, non affligi duri.

Senecae extremae voces.

---

187 = P 208, M 138. Phaedr. fab. 3, 14, 10. Plut. an seni ger. r. 16. 188 = P 209.
SENTENTIAE RUFFI P. Cf. supra pg. 15. 16. 189 = P 210. Cf. 158. Sen. de remed. fort. 2, 6 quicquid est natum, moritur. 4, 1 optimum est antequam optes mori. Publil. Syr. 313. inmutatura P. 190 = P 211. pro] per P. est addidi. 191 = P 212. Cf. Sen. dial. 6, 16, 2 regem Romanis capitibus Lucretia et Brutus deiecerunt; Bruto libertatem debemus, Lucretiae Brutum. 192 = P 213. cominus liber P; de morte voluntaria cf. Sen. dial. 1, 6, 7. 193 = P 214. Cf. Sen. fragm. 79 H. proibent P. 194 = P 215. Cf Cic. de offic. 1, 22. fin. 2, 45. pro Mur. 83. 195 = P 216. Iacere] Cogita Senecam balneo inlatum. si scripsi coll. 107; ut P. an ubi? cadendum scripsi: candidum P. suplicii P; cf. Sen. ben. 2, 5, 3 quod antecedit tempus maxima venturi supplicii pars est. 196 = P 217, M 140ª. libertati Schenkel: libertatis codd. optt. M, libertis P. subprestitem P. 197 = P 218. Varronis sent. 20. 93 Devit. fortunae regnum scripsi: fortunam regum P; cf. Sen. dial. 1, 6, 7. 6, 10, 6. 198 = P 181, M 141, π 87. Hoc loco sententiam collocari commotus auctoritate librorum M et quia S eo loco, quo P eam exhibet, omittit; denique utpote in Neronem dicta optime coniungitur cum s. 199. multo M, om P. hii P. timent, illi un. M, illi multos timent P. Cf. Laber. ap. Macrob. Sat. 2, 7, 4 et Publilii sent. 338. Sen. epist. 105, 4 qui timetur, timet. 199 = P 219. 200 = P 220. 201 = P 221. 202 = P 222. mortem P.

Habes, mi Rufe, iam congesta praecepta, in quibus dilatandis floribus philosophia versatur. Neque enim est quod putes aliam esse, quae in tot libris diffunditur. Haec seminum loco sunt et in exiguo totius operis continent summam. Bonus animus hominis deus est maximus; is si bonus est, dii sunt propitii.

---

mi Rufe iam] miruffeam P^1, mirifice P^2; *cf. supra pg. 9.* omnium praec. P^2. putas P^2. aliam *scripsi:* alia P^1 P^2 in thot libros P^2. continent P^2, continetur P^1. summa P^2. hominis P^1, homini P^2. is] his P^1 P^2 *Cf. Fulgent. Verg. cont. p. 144 Munker.*

Addenda. *Pag. 17. De turbato ordine foliorum codicis S cf. Al. Riese praef. ad anthol. lat. I. p. XIX, qui in eo erravit, quod pagg. 206. 219—228 Sexti sententias contineri scripsit.*

Pag. 18, sent. 11. 12 = π 139. libenter] viriliter *π*.

Pag. 21, s. 52. superiore, inferiore] superioribus, inferioribus *M.*

Pag. 25, s. 35. Cf. Stob. flor. 3, 79, 6 extr. ἕξεις ἔργῳ μνήμην κτλ. Sed illa monita, ut 3, 79, 5 extr. ab interpolatore addita esse existimo.

Pag. 26, s. 42. Paulo aliter Sosiades ap. Stob. 3, 80 παῖς ὢν κόσμιος ἴσθι κτλ.

Habes, mi Rufe, iam congesta praecepta, in quibus dilatandis floribus philosophia versatur. Neque enim est quod putes aliam esse, quae in tot libris diffunditur. Haec seminum loco sunt et in exiguo totius operis continent summam. Bonus animus hominis deus est maximus; is si bonus est, dii sunt propitii.

---

mi Rufe iam] miruffeam P^1, mirifice P^2; *cf. supra pg. 9.* omnium praec. P^2. putas P^2. aliam *scripsi:* alia P^1 P^2 in thot libros P^2. continent P^2, continetur P^1. summa P^2. hominis P^1, homini P^2. is] his P^1 P^2 *Cf. Fulgent. Verg. cont. p. 144 Munker.*

Addenda. *Pag. 17. De turbato ordine foliorum codicis S cf. Al. Riese praef. ad anthol. lat. I. p. XIX, qui in eo erravit, quod pagg. 206. 219—228 Sexti sententias contineri scripsit.*

Pag. 18, sent. 11. 12 = π 139. libenter] viriliter *π.*

Pag. 21, s. 52. superiore, inferiore] superioribus, inferioribus *M.*

Pag. 25, s. 35. Cf. Stob. flor. 3, 79, 6 extr. ἕξεις ἔργῳ μνήμην κτλ. *Sed illa monita, ut 3, 79, 5 extr. ab interpolatore addita esse existimo.*

Pag. 26, s. 42. Paulo aliter Sosiades ap. Stob. 3, 80 παῖς ὢν κόσμιος ἴσθι κτλ.